AD VIRGILIUM.

(*Continuantur e Mnemosyne Vol.* X. *pag.* 49.)

GEORGICON LIBER I.

I. 1—7.

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
Vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vites
Conveniat; quae cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori; apibus quanta experientia parcis
Hinc canere incipiam. Vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem coelo quae ducitis annum; sq.

Non satis intelligo, cur hic Maecenatem ita alloquatur. Servius dicit: „Hi libri didascalici sunt. Unde necesse est, ut ad aliquem scribantur. Nam praeceptum et doctoris et discipuli personam requirit. Unde ad Maecenatem scribit; sicut Hesiodus ad Persen, Lucretius ad Memmium." Sed Maecenas non est discipulus Virgilii, qui docet agricolas. Ergo et Augustum orat, ut *secum ignaros viae agrestes miseretur*. Ita, si vis, Augustus et Virgilius sunt doctores, agrestes discipuli. Persei quoque et Memmii longe alia est ratio. Hesiodus *operibus et diebus* varia immiscet praecepta, fratremque Persen, ut pater filium, ad vitam prudentem hortatur, eumque saepe alloquitur. Lucretius multa de Memmio addit, ex quibus apparet, cur ei suum carmen miserit. Praeterea, ut Hesiodus prius Musas, ita Lucretius Venerem vocat, eamque sociam scribendis versibus esse studet, quos de rerum natura pangere conabatur Memmiadae suo,

quem, tu Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus.

Deinde eundem Memmium rogat, ut, semotus a curis, vacuas aures praebeat, nec sua dona, prius quam intellexerit, spernat. Hesiodus et Lucretius adeo revera docent, ille Persen, hic Memmium. At Virgilius Maecenatem nudo tantum nomine, et semel, in toto hoc libro primo, appellat, idque ante Deos et Augustum. Maecenas, credo, istum honorem recusasset, neque Augustus aequo animo tulisset. Nec vero in ipsum Virgilium tam imprudens rusticitas cadebat. Maecenatem in libris sequentibus longe aliter habuit. Laudavit, et auxilium imploravit, ut Maecenatem ab eleganti et humano poëta laudari oportebat. Tale aliquid in principio totius operis exspectassem; quamquam vel sic, ante Deos et Augustum, fuisset alienum. Nunc illa *vertere, Maecenas,* et *vos o clarissima mundi lumina,* et versus sequentes, magna venustate et gravitate conspicui, transitum habent adeo subitum, ut poëta quasi turbine ex media Scythia in Aethiopiam translatus esse videatur. Coniicio eum scripsisse:

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
Vertere, Aminaeas ulmisque adiungere vites
Conveniat.

Virgilius herbas, arbores, poma, animalia, epithetis, a regione, ubi praestantissima nascuntur, ornat. Ita statim *pocula Acheloia, Chaoniam glandem, grues Strymonias* nominat. Vites *Aminaeas* in II, 97. laudat:

Sunt et Aminaeae vites, firmissima vina,
Tmolius assurgit quibus, et rex ipse Phanaeus.

Quam facile ex *Aminaeas* oriri potuerit *Maecenas,* apparet, si cogitas, longe minus fuisse notum illud, quam *Maecenas: Maecenatem* in aliis libris omnibus appellari, denique librarios centies errasse in transponendis literis, et ipsum *Maecenas* saepe scribi *Micaenas.*

Heynius ad II Georg. 39, annotavit: „Proposito quasi argumento libri, ad eius pertractationem Maecenatem invocat; commodiore loco, quam si paullo ante Baccho subiunxisset privatum hominem. Nam Caesarem recte ultimo post Deos loco ponebat I Georg. 24, sq.” Licet *invocare* et *alloqui* non

sint idem, miror tamen Heynium hic nihil annotasse, adeoque omnia iudicasse commoda.

I. 24, 25.

Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum
Concilia, incertum est;

Multi interpretes, suorum quisque scriptorum, de adverbiis *mox*, *postea*, *nuper*, disputaverunt, ita ut iis nunc brevius nunc longius temporis spatium esse tribuendum contenderent. Et ita est. Sententia loci significationem constituit: videndum modo, in qua re tempus agatur. *Mox* nunc ad nos pertinet. Hoc a breviore spatio ad longissimum accommodare difficile est, nisi in rebus diu ante memoriam nostram gestis, quas cunctas deinceps animo complectimur, ut eodem tempore statim una post alteram accidisse videatur. Valet hoc inprimis in commemoratione rerum gravis momenti historica. Tunc annorum, quotquot medii intercesserint, minor ratio habetur. Ita, credo, explicari potest, quando eiusmodi adverbia de totis quoque saeculis usurpantur. Videamus an Virgilius hic recte scripserit *mox habitura.* Augustus fortasse annos habebat triginta. Huic adolescenti dicit: concilia deorum te *mox* habitura sunt. Quid hoc est aliud, nisi: *brevi deus fies.* Iam *deus fieri* et *mori* idem est. Ergo dicit: brevi moriere, inter deos quidem relatus, moriere tamen. *Deus fieri*, *divus esse*, a moriendo nunquam seiungebatur. Hinc Vespasianus in morbi accessione, ut refert Suetonius, iocans: *ut puto, Deus fio.* Et Nero, boletum, quo Claudium fecerat Deum, vocabat *cibum Deorum.* Apud Tacitum XV Annal. 74. Cerialis Anicius D. Neroni templum decrevit *tamquam mortale fastigium egresso, et venerationem hominum merito. Quod quidem quorundam dolo ad omina sui exitus vertebatur. Nam Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.* Octavianus, credo, si legisset *mox habitura*, dixisset: *cavebo ne mox habitura sint*, ut dixisse narratur *cavebo ne tollar*, quum Cicero adolescentem *esse tollendum* iudicasset.

Iam olim fuere, quos illud *mox* offenderet. Servius: „Augustus vivus divinos honores emeruit. Unde male quidam culpant Virgilium, dicentes eum, aviditate laudandi, citum interitum Augusto optasse, cum eum constet ad rem, quae nunc

fiebat, respexisse." Enim vero, Augustus quidem praesens Divus habebatur, seu in eo erat ut haberetur, sed quomodo de homine vivente accipiantur ista: "incertum, velisne esse potens frugum et tempestatum, maris, an sidus, seu quidquid eris, iam nunc assuesce votis, tamquam Deus, vocari." Haec, inquam, referri non possunt ad honores Divo *praesenti*, et in mediis Romanis versanti, habitos, quamquam ne hoc quidem in urbe, sed in provinciis; unice vero respiciunt futuram divinitatem Augusti ex hac statione ad coelum vocati. Illud autem tempus, quamvis felicissimum, omnes mortales, pro innato vitae amore, nunquam fere serio maturari optant, sed semper aliquamdiu differri cupiunt. Ergo in hoc genere adulationis omnes poëtae precantur, quod Horatius precatur Augusto: *Serus in coelum redeas, diuque Laetus intersis populo Quirini.* Idem vovent Ovidius, Valerius Flaccus, P. Statius, Lucanus, Martialis, Silius, et qui non? *Cupidum* coelum exspectat Caesares, eosque terrae *invidet*, ipsi minus festinant, et poëta annos plures quam Pylios iis exoptant; Ovid. V Trist. II, 1. *Sic habites terras, sic te desideret aether. Sic ad pacta tibi sidera tardus eas.* Propterea mirum mihi accidit, Virgilium hic usum esse adverbio tam imprudenti *mox*, quod in hac caussa a propinquo exitu segregari non potest. Scripsisset potius:

Tuque adeo, quem olim, quae sint habitura deorum
Concilia, incertum est;

Tibull. III, V, 21 sq. Parcite, ait, o Dei, mihi nondum seni: *Elysios olim liceat cognoscere campos — cum mea rugosa pallebunt ora senecta.*

Dicas fere Manilium vidisse *post*. Manil. astron. I, 390—393.

Nec numerosa minus nascuntur sidera in orbe.
Caetera non cedunt: uno vincuntur in astro
Augusto, sidus nostro quod contigit orbi
Caesar nunc terris, post coelo maximus auctor.

Quod in versibus istis difficile est, omitto: solum *post* hic ad nos pertinet. Illud quoque cogitationem mortis cito venturae reiicit, et Augustus accipere potuit, ut ista Ovidii XV Metam. 820.

Nec nisi cum senior Pylios impleveris annos,
Aethereas sedes, cognataque sidera tanget.

Sed *olim* magis Virgilianum puto.

I. 47, 48.

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolae.

In unico Ms. Zulich. legitur *avaris.* Etiamsi in nullo legeretur, tamen coniicerem *avaris.* Qui Virgilium norunt, et orationem Latinam poëtarum tenent, mihi, credo, assentientur. In tali caussa non opus est auxilio exemplorum. Nota sunt *vota improba, modesta,* alia. Vel sensus cernit. Servius: „*avari,* id est, quamvis avari." Cogitabat illud Aeneidi praescriptum: *Ut quamvis avido parerent arva colono.*

I. 54—56.

Hic segetes, illic veniunt felicius uvae;
Arborei foetus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina.

Gramina ubique iniussa virescunt, sponte nascuntur, nisi in desertis aridis. Heynius: „per *gramina* declarari puta *pascua.*" Mentio pascuorum ab hoc loco est aliena. *Iniussa* opponuntur *iussis,* quae cura hominum virescere iubet, quae serit et colit. Talem curam hic non recte graminibus impendi solitam cogites, qualem arboribus. Servius annotat, hic unum *alibi* deesse, ut fiat, *atque alibi iniussa virescunt.* Omissum, puto, *alibi* potius indicat de una eademque re agi. Lego:

Arborei foetus alibi, atque iniussa virescunt
Germina.

Virg. II Georg. 332. *Inque novos soles audent se germina tuto credere.* Ubi Philargyrius: „Celsus ait *germina* reliquisse Virgilium: loquitur enim de omnium arborum fetu. Unde male quidam *gramina* legunt"

I. 56—59.

Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabaei?
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum.

Haec Latine significant: aliae regiones mittunt odores, ebur, thura, alia ferrum, castorea, Epirus mittit palmas, quibus equae victrices in certamine Eleo coronantur. Ita Epirus est, quod erat Iudaea, Idume, ideo *palmifera* appellata, unde et *palmae Idumaeae* apud nostrum poëtam. At Epirus non est

nobilis palmis suis, sed praestantissimis equis. Mittit adeo *equas* ad ludos Olympiacos, non *palmas equarum.* Heynius: „*Palma*, ut *victoria*, pro victore dicitur. Sic Aen. V, 339, *tertia palma Diores.*" Sed exemplum non est simile. Diores ipse est *palma*, qui subit Euryalo et Helymo. Atque ita, qui vincit vel vincitur, per appositionem, *palma* dicitur: vide Burm. ad l. l. Aeneidos. Nota sunt huiusmodi abstracta. Virgilius in Ecloga VI — *Coridon erat certamen.* Ad istam rationem hic *equae* esse debebant *palmae*, et Epirus mittere *equas palmas.* Quod ineptum. Fortasse PALMAS mutandum in PATRIAEST. Latina certe legeremus:

At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea: Eliadum patria est Epiros equarum.

Equae Eliades, ut *equi Elei*, *quadrigae Eleae* apud alios poëtas, qui in Elide certant. *Patria*, ut Virg. Georg. III, 121, de equo, qui *patriam Epirum referat, fortisque Mycenas.* In huiusmodi emendationibus semper cogitanda sunt scripturae compendia, fons illa mille errorum.

I. 60—63.

Continuo has leges aeternaque foedera certis
Imposuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem.

Melius puto:

quo tempore primos
Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem.

Sic vs. 12. *Tuque o, cui prima furentem Fudit equum tellus magno percussa tridenti.* Pro *primum* in uno Ms. est *primus;* vestigium sincerae lectionis. Et suavius sonat *primos*, quam *primum vacuum orbem*

I. 64, 65.

Pingue solum primus extemplo a mensibus anni
Fortes invertant tauri.

Heynius: „*Invortant* scriptura e Medic. Verum si hic: cur non ubique? et si ex solo aurium iudicio; quis hoc sibi arroget in lingua, cuius sonos ac numeros nos nobis fingimus, non callemus!" Si roganti per rogationem respondere licet, rogo, cur non ubique *aulai, olli*, et alia eius modi? Probus apud Gellium N. A. XIII, 20, docet, Virgilium hic

urbis, illic *urbes*, hic turrim, illic *turrem* scripsisse: „homo rudis et aure agresti, cur, inquit, aliud alio in loco potius rectiusque esse dicas, non sane intelligo. Noli, inquit Probus, igitur laborare, utrum illorum debeas dicere, *urbis* an *urbes*. Nam quum id genus sis, quod video, ut sine iactura tui pecces, nihil perdes, utrum dixeris. His tum verbis hominem indocilem dimisit." Gronovius quoque ad Senecae Hippol. 339, vagos aurium sensus, ut oculorum, saepe mentiri, oppressa ratione, ex veteri poëta monet. Equidem et hic regulas quasdam constitui posse arbitror, non illas quidem ex iudicio nostrorum hominum petitas, sed ex usu Romanorum, qui Latine scripserunt, derivatas. *Vortere* antiquius est quam *vertere*. Hinc iam suspicio non vana oritur, esse minus lene auditu, quam *vertere*, quia lingua Romana, ut aliae, initio erat rudis et dura, et sensim emolliebatur. Hic ego provocare ausim ad omnes, qui vetustissimos poëtas legerunt, minime dubitans, quin *fortes invortant tauri* fortius ac plenius sonare, itaque rei ipsi melius respondere, agnituri sint, quam *fortes invertent tauri*. Talia sunt *vortice torrens*, et quae sibi quisque notabit. Praeclara de omni re monuit C. Scaliger Poëtices IV, 47. Atque hoc plane sentietur, si cogitemus *tauri* pronuntiari *tōri*. Est adeo pulcherrima alliteratio in tribus propemodum vocabulis. Quales alliterationes vetusti poëtae, Ennius, Pacuvius, Lucretius, alii amabant, et Virgilius hic illic retinuit, quo colorem sincerae antiquitatis suis versibus adspergeret, et sonum variaret.

I. 69, 70.

Illic, officiant laetis ne frugibus herbae,
Hic, sterilem exiguus ne deserat humor arenam.

Servius: „Ipsius manu adiecti sunt deletis duobus, quorum alter totus legi potuit. *Illic, officiant segetes ne frugibus illis;* ex altero hoc tantum, *ne deserat humor arenam.*" Servius ista accepit ex antiquioribus commentariis, v. c. Higini, non ignobilis grammatici, qui, teste Gellio N. A. I, 21. habuit librum, *qui fuit ex domo atque familia Virgilii:* et Valerii Probi, docti hominis, quem Gellius N. A. XIII, 20, testatur usum fuisse exemplo libri I Georg. *manu ipsius Virgilii correcto.*

Iam non intelligo, cur Vi gilius primum scribere potuerit:

Illic, officiant segetes ne frugibus illis. Talemne ei versum unquam excidisse? Quid pro *Hic sterilem exiguus* primum scripserit, latet. Possim multa de utroque versu coniicere. Sed cui bono? Animadverto potius in uno Ms. legi *offiant* pro *officiant.* Penultimae scilicet et ante penultimae in polysyllabis saepe omittebantur. Hinc multa, quae sunt corrupta, possunt emendari.

I. 91—93.

Seu durat magis, et venas adstringit hiantis:
Ne tenues pluviae, rapidive potentia solis
Acrior, aut Boreae penetrabile frigus adurat.

Saepe profuit, ait Virgilius, steriles agros incendere: tum caussas refert, cur prodesse possit, inque iis hanc ultimam, ne soles aut frigus terras adurant. Recte. Sed ne *pluviae*, eaeque *tenues adurant*, quis probet? Interpretes alii *tenues pluvias* ad generalem notionem referunt, *nocendi* scilicet, eliciendam ex verbo *adurant*, et *tenues* variis modis explicant, alii *tenues* ad epitheta ornantia referunt, quae Latinos poëtas saepe iungere substantivis, ubi non commodus sit eorum usus. Ego semel nego hoc unquam a bono poëta factum, ubi autem factum videtur, nos vel minus recte accipere, vel librarios corrupisse contendo. Hic Virgilium dedisse arbitror:

Ne tenuent pluviae, rapidive potentia solis
Acrior, aut Boreae penetrabile frigus adurat.

Si calor solum terrarum duravit, pluviae non penetrant, sed diffluunt in loca humiliora, vel, si stant, deduci possunt. In *pluviis* hic cogitantur nimiae, quae agris praesertim minus foecundis, valde nocent, eosque *tenuant.* Servius: „alii *tenues*, inutiles, ieiunae, macrae, quibus contrarium *pingues.*" Nostrum *tenuare* est terras facere *inutiles, ieiunas, macras.* Ut III Georg. 129. *Ipsa autem macie tenuant armenta volentes.*

I. 100—103.

Humida solstitia atque hiemes optate serenas
Agricolae, hiberno laetissima pulvere farra,
Laetus ager; nullo tantum se Mysia cultu
Iactat, et ipsa suas mirantur Gargara messis.

Illa *nullo cultu* esse difficilia, testatur triplex, quadruplex eruditorum hominum interpretatio. Consului Servium, Philar-

gyrium, Heynium et Wagnerum. In nulla interpretatione simplicitatem versuum, Virgilio dignorum, agnosco. Semper aliquid deest, quod *nullo cultu* cum antecedentibus coniungat. Fortasse poëta scripsit:

nullo tantum se Mysia coelo
Iactat, et ipsa suas mirantur Gargara messis.

Optate humida solstitia et hiemes serenas. Nullum est coelum, nulla est coeli temperies, qua regnante, Mysia se tantum iactat, et Gargara se mirantur. Tempore solstitii et hiemis nulla est tempestas, quae magis favet segeti. Tunc Mysia se iactat, et Gargara suas messes ipsa mirantur. Qua re Mysia se iactet, ex sequenti *messes* intelligitur: quod nisi sequeretur, tamen ipsa loci sententia iudicaret esse *messes*, quibus regio fertilissima gloriaretur. *Hoc coelo*, ut *nullis caussis* et similia, est ablativus absolutus; ita V Aen. 17, 18. *non, si mihi Iupiter auctor Spondeat, hoc sperem Italiam contingere coelo.* Quem locum cogitabat Claudian. B. Gildon. 499. *Certa fides coeli, sed maior Honorius auctor.* Honorius est maior fides, qui nos non iuberet vela ventis dare, nisi vanus esset metus tempestatis. Lucan. V, 579. *Italiam, si coelo auctore recusas, Me pete.* De *fide coeli* et sim. Cf. Burm. ad V. Flacc. I, 332.

I. 112, 113.

Luxuriem segetum tenera depascit in herba,
Quum primum sulcos aequant sata.

Servius annotat: „Sane Virgilii hoc hemistichium unum de invictis est." Quid significat *invictis?* Viri docti corrigunt, *iniunctis*, *iniectis*, *insertis*, *invinctis*: Burmannus interpretatur, unum de tam egregiis, ut nemo possit vincere, sive melius facere. Servius ad X Aen. 190, quod Burmannum non fugit, idem hemistichium affert: „*Umbramque sororum.* Est unum de his, quae habet Virgilius inimitabilia, et sua propria. Tale est illud III Georg 192. *Sinuatque alterna volumina crurum.* Item I, 113. *Cum primum sulcos aequant sata.*" Burm. quamquam et cogitaret *de invectis*, in eo tamen acquiescit, ut *invictum* et *inimitabile* esse hoc hemistichium arbitretur. Quid Heynius velit, mihi non satis liquet. „Viro docto apud Servium, ait, hic versus adeo se probavit, ut adscripsisse narretur: *sane Virgilii hoc hemistichium unum de invictis est.*"

Fortasse Heynius annotationem Burmanni obiter inspexit, dicentis: „manus viri docti in ora codicis sui *de invinctis* coniiciebat." Neque hic agitur de versu, sed *de hemistichio.* Hemistichium autem est *quum primum sulcos aequant sata.* In quo nihil equidem video, quod *invictum* dici possit. Si rem spectes, et verba rem exprimentia, quid est simplicius, quam *sata aequant sulcos?* Si numeros et sonum, multa in Virgilio et aliis inveniuntur similia. Ergo neque invictum neque inimitabile est, quale v. c. Homericum illud ἠϊόνες βοόωσι, quod Platonem a versibus faciendis, ut fertur, deterruit. Legendum puto: *sane hoc hemistichium unum de inductis est.* Quid sit *inducere,* et quid eodem pertineat, optime discimus ex Sueton. Nerone 52. „*Venere in manus meas pugillares libellique cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis, ut facile appareret, non translatos, aut dictante aliquo exceptos, sed plane, quasi a cogitante atque generante exaratos: ita multa et deleta, et inducta, et superscripta inerant.*" Virgilius primum Georgica cogitavit et generavit in pugillaribus, inque iis multa delevit, induxit, et superscripsit. Ex pugillaribus in meliorem chartam emendata transtulit. Ita edebantur. Sed in exemplo, quod ipse habuit, semper aliquid mutavit. *Deleta* non ubique legi poterant, *inducta* saepe, vel adeo plerumque; *superscripta* semper. Haec et alia huiusmodi ex Servio quoque novimus. Interdum autem accidebat, ut versum vel hemistichium *induceret,* et statim nihil supra scriberet, quia, quod vellet, non inveniebat. Tum, quod induxerat, *reponebat:* Serv. ad I Georg. 64. *Pingue solum primis extemplo a mensibus anni.* „*Extemplo* induxit et reposuit." *Extemplo* ei non placebat. Ergo induxit. Aptum aliud non in mentem veniebat, quare *reposuit,* idemque vocabulum supra scripsit. Si *extemplo* delevisset et obliterasset, nesciremus quid, pro *reposito,* prius posuisset. Multa in Georgicis fuere *inducta:* non adeo multa *inducta,* quibus non aliud esset superscriptum. Haec Servius vocat *inducta.* Ea erant *inducta,* et non *mutata.* Virgilius ea tunc, quum inducebat, in melius mutare non sciebat. Erant eo tempore *immutabilia.* Sic in annotatione Servii ad X Aen. 190, ex Ms. legendum est pro *inimitabilia.* Nam Servius *umbram sororum* referre non potuit ad *inimitabilia,* quod ipse, antiquiores Gram-

maticos secutus, *ambitiose* dictum iudicet, pro *arbores de sororibus factas.* Quod *ambitiose* dictum est, in vitio, non in laude ponitur. Vide modo Quintilianum. Virgilius scripserat:

Namque ferunt, luctu Cycnum Phaëthontis amati,
Populeas inter frondes umbramque sororum
Dum canit et moestum Musa solatur amorem.

Iam *populeae frondes* sufficiebant: has per *umbram sororum* ornare, nimis arcessitum et affectatum est, praesertim illud *sororum.* Toleratur in Seneca Herc. Oct. 187. *Ubi moesta sonat Phaëthontiadum silva sororum:* in Virgilio non toleratur. Hunc ea, quae primo impetu effuderat, relegentem latere non potuit *κακοζηλία.* Quaesivit pro *sororum* aliud. Statim non invenit. In Aeneide *umbramque sororum* obliterasset, et exspectasset unum ex illis suis tibicinem. Sed Georgica edidit. Ergo non inveniuntur in iis hemistichia, ut in Aeneide, quam edi vetuit. Ea tenus Georgica dici possunt opus absolutum. Quam multa caeteroquin a perfectione deessent, ipse Virgilius, continuo delens, inducens, superscribens, ostendit. Probe hic *absolutum* a *perfecto,* quod adscendere optimus quisque studet, discernere oportet. Quum Marklandus in Praefat. ad Statii Silvas, multa in Aenëide vehementer reprehendebat, amico, istam opinionis audaciam expavescenti, respondit: „in Aeneide nonnulla sunt contradictorià, multa languida, exilia, nugatoria, spiritu et maiestate carminis Heroici defecta: quae si perfecti operis signa sunt, sit per me quantum libet perfecta Aenëis. Et de Georgicis quidem, quantum vult, concedo, de Aenëide vero, renuo, negitoque:" haec quum Marklandus scribebat, plus, credo, concessit, quam concedere debuit. In Marklando quidem, si animum attenderet, non erat periculum, ne inanem tinnitum, quasi quod solidum crepat, laudaret: sed fuere Marklando minus eruditi et acuti, qui v. c. *umbram sororem* admirari potuerunt, suo ipsi sensu, et aliorum commendatione perfecti operis in errorem ducti. Plura de illa Servii annotatione alibi dicam. Nam tota quaestio digna est, quae diligentius explicetur, ut appareat, quam incorruptus fuerit poëtae sensus, quam acre iudicium, quo falsa a veris discernere sciebat.

I. 113—116.

quique paludis
Collectum humorem bibula deducit arena?
Praesertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit, et obducto late tenet omnia limo:

Coelum, aër, sol, luna, dicuntur *incerta*, quando statu illorum haud satis fidere possumus, sed is modo serenus, modo turbidus, nunc clarus, nunc obscurus est. Sol, lux *incerta, dubia*, incertum, dubium, an sit sol, lux. Hoc illustrat Gronov. ad Senec. Oedip. 1. Illud Burm. illustrat ad Ovidii Art. Am. II, 317, de auctumno, *cum modo frigoribus premimur, modo solvimur aestu, Aëre non certo corpora languor habet.* Ibi Burmannus non cogitavit, quod in Ms. uno legebatur *aer et incertus*, versum facere vitiosum. Si *menses incerti* ad eam rationem significant menses, quibus coelum nunc serenum nunc turbidum, et tempestas nunc sicca nunc pluvia est, nec potius *mensibus incertis* accipiendum ut v. c. *temporibus incertis*, hoc est, non semper uno eodemque tempore: rogo, an in ista Italiae parte, de qua Virgilius loquitur, vere et auctumno tales fuerint menses continui, quibus tantum pluviarum cadebat, ut fluvii exirent? Hiems ubique fere est tempus, quo imbribus et nivibus aucti diluviem agris minantur. Idem erat in Italia. Hinc illa poëtarum, v. c. Horatii: vere adventante non *fluvii strepunt hiberna nive turgidi, ripas praetereunt*, Ovidii, Albula *hibernis tumebat aquis*, alia. Iam vetusti interpretes de *mensibus incertis* uon conveniebant, et apud Probum Grammaticum legitur *certis mensibus.* Neque *exit* et *tenet* hic satis perspicue sibi respondent. Amnis semel exit, et postquam *exiit*, et aqua resedit, tum demum late omnia limo obducto tenet. In Gudian. erat *exiit obducto.* Fieri potest, ut aliquando *exit* ultima producta fuerit acceptum, ut *abît* pro *abiit* et similia. Particula tamen copulativa abesse non potest. Ego versus sic legendos esse coniicio:

Praesertim hibernis si mensibus amnis abundans
Exiit, obducto et late tenet omnia limo.

Hibernis quoque post *praesertim* mollius sonat, quam *incertis.*

I. 141, 142.

Atque alius latum funda iam verberat amnem,
Alta petens; pelagoque alius trahit humida lina.

Haec ita constituit Wagnerus. Alii aliis modis, neque eodem interpretantur, et variis coniecturis tentant. Iamque olim hic haerebant, ut ex Servio apparet.

Mihi, ut brevissime dicam, legendum videtur:

Atque alius latum funda iam verberat amnem;
Alta petens pelago alius trahit humida lina.

Virgilius piscationem maris piscationi fluminis opponit, *alta* opponit *amni*. Amnis an recte dicatur *altus*, hoc est, profundus, quis unquam dubitavit? Sed piscator, amnem funda verberans, *petit alta* amnis, Virgilius dicere, credo, non potuit. Addidisset aliquid, de piscatore primum ripas amnis verberante, et mox, audacia sumta, *alta* petente, ut v. c. Claudian. Praef. de Raptu Proserp. ubi primus navita, *litora legit, mox terras linquit*, et, crescente audacia, *vagus exsultat pelago*. Quamquam vel sic ineptum esset, breve spatium amnis per *ripas* et *alta* discernere, idque vocabulo sic unice, ni fallor, de mari usitato. Atque hoc multos movit, ut coniungerent: *alta petens pelagoque*. Ostendit Wagnerus Virgilium *que* non ita alteri tertiove vocabulo subiungere. Studium vitandi hiatus in *pelago alius* hic, puto, iterum, ut saepe, inseruit *que*. Hoc autem nunquam admitti potest, sive dicas *alta petens; pelagoque* — sive *alta petens pelagoque*. Nam Latinum est, *alius verberat, alius trahit*, non est, *alius verberat et alius trahit*. Formulae *alii atque alii* diversa est ratio.

I. 144.

Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.

Versus, puto, a Grammatico adiectus, partim compositus ex Aen. VI, 181, *cuneis fissile robur scinditur*. Virgilius regnum Iovis opponit regno Saturni. Ante Iovem non subigebant arva, non fas erat campum signare, ipsa tellus omnia ferebat: Iupiter cuncta mutavit; tum variae venere artes, rigor ferri, lamina serrae, nam *primi utebantur cuneis*. Hic *primi*, seu malis *primum*, non alii esse possunt, quam homines ex regno Saturni. Sed tunc nullae omnino erant artes, nec lignum scindebatur. Bryantus quoque spurium hunc versum iudicabat. Cur, non vidi.

I. 168.

Si te digna manet divini gloria ruris.

Heynius: „ut θεῖος, δῖος, praeclarus; ex more loquendi." Si Virgilius hoc voluisset, aliud, credo, legeremus, quo significaretur, quod expressit Cato in Senectute Ciceronis XVI. *Agro bene culto nil potest esse, nec usu uberius, nec specie ornatius.* Languet epithetum *divini*, nisi sublimius aliquid habeat, quale v. c. in Varron. III, 1. *natura divina dedit agros, ars humana aedificavit urbes.* Suspicor versum non esse Virgilii. Neque Latinitas placet. Quid enim *gloria ruris manet aliquem?* Quid *gloria digna?* Quid caussa tantae gloriae, si multo ante varia instrumenta et vilem Celei supellectilem provisa reponat?

I. 187—190.

Contemplator item, quum se nux plurima silvis
Induet in florem, et ramos curvabit olentis:
Si superant fetus, pariter frumenta sequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.

Quis unquam audivit *flos curvat ramos arboris?* Quid interpretes? Servius: „*multitudine et densitate foliorum.*" O gravia folia! Heynius: „*flores* nunc *fetus* sunt, mox in nuces, fetus arboris, abituri:" Wagnerus: „proprie fructu, non flore *curvari* ramus dicitur. Itaque verba *ramos curvabit olentis* sic accipe: quum curvi nucis rami multo flore olebunt." Ego nullam interpretationem laudo. Fortasse et nemo meam coniecturam laudabit. Dicam tamem, quid mihi Virgilio dignum videatur:

Contemplator item, quum se nux plurima silvis
Induet in florem, et ramos curvabit olentis
Se superans fetus, pariter frumenta sequentur.

Fetus in singulari numero, ut II Georg. 390. *Hinc omnis largo pubescit vinea fetu.* Conf. Seneca Thyest. 155. *Hinc illinc gravidis frontibus incubat. Et curvata suis foetibus, ac tremens Alludit patulis arbor hiatibus.* Eleganter autem dixisset, *fetus se superat*, uberior est, quam unquam antea fuit, μείζων ἑαυτοῦ, αὐτὸς ἑαυτοῦ κρείττων, *se maior*, alia. Plin. Hist. Nat. V, 27. *Taurus, atque ubi se quoque exsuperat Caucasus.* XXXVI, 5. *Praxiteles marmoris gloria superavit etiam semet.* Seneca Medea 393. *Non facile secum versat aut medium scelus. Se vincet.*

I. 195, 196.

Grandior ut fetus siliquis fallacibus esset,
Et, quamvis igni exiguo, properata maderent.

Nonnulli agricolae semina leguminum, fabarum, nitro et amurca perfundunt, ut fetus ita nascatur grandior, et aqua fervente emollita, citius, quamvis igne exiguo, coquatur. Sic interpretantur, et ea sententia requiritur. Sed *madere* ipsum hic non recte ita dicitur pro *cocta esse* ut legumina cibo apta sint. Omne legumen coquendum, sine aqua vulgo non coquitur. Ergo statim, etiam crudum, madet, humidum fit. Servius: *maderent*, antique, pro *cocta essent.* Quae fuerint antiqua exempla, ignoramus, nisi bina Plauti, unum ex Menaech. I, III, 29, alterum ex Persa I, III, 12. Neutrum, puto, huc facit. De re ista longior est disputatio, et nunc differenda. Interea legam:

Et, quamvis igni exiguo, properata domarent.

Ovidius VIII Metam. 649. *Servatoque diu resecant de tergore* (suis) *partem Exiguam, sectamque domant ferventibus undis.* Sammonicus de Medicina, 301. Ovum *melle teres domitum ferventibus undis.* Idem, 420. *Arida ficus item fervente domatur aceto.* Virg. III Georg. 160, pro *domare* posuisse dicitur *vincere: nec viscera quisquam aut undis abolere potest, aut vincere flamma.* Serv. „Igni superposita (caro) aut putrefit, aut durescit: nam non coquitur. „Mirum, si verum. Ex *maderent*, transpositis literis, fit *domarent.* Diximus et alibi de facillima ista medicina. Ita et Heins. ad Silium II, 77. *religata fluentem Hesperidum dono crinem*, optime correxit *nodo.* Quod interpres ibi coniicit *Hesperidum modo* vitiat metrum.

I. 199—203.

sic omnia fatis
In peius ruere, et retro sublapsa referri;
Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

Servius: „*atque*, id est, *statim.* Alii quidam superfluam coniunctionem volunt." Iam olim ita acceptum est. Gellius N. A. X, 29: „*Atque* praeterea pro alio quoque adverbio dicitur, id est, *statim.* Quod in his Virgilii versibus existimatur obscure

et infrequenter particula ista posita esse." Haec quoque disputatio paucis absolvi non potest. Virgilius autem existimatus est hic *obscure* et *infrequenter* (alii legunt *insequenter*, quod esset ἀνακολούθως) dixisse, *atque illum.* Viri docti non idem de loco constituendo censent. Wagnerus ita constituit: "omnis difficultas in eo est posita, quod a passivo ad activum transitur. Sunt autem haec ita constituenda: Non aliter, quam is, qui vix summa virium contentione lembum remigiis subigit, simulac brachia remisit, *retro sublapsus refertur* et in praeceps rapitur." Rectissime quidem. Sed ita *atque illum* non explicatum est, quod hic pro simplice illo *statim* esse scriptum, haud facile credam. Cogitavi, an Virgilius Graecam dicendi formam secutus fuerit, ut *atque illum* idem significet, quod *et quem.* Omnia retro sublapsa referuntur, non aliter, quam, qui vix lembum subigit, retro refertur, *si brachia remisit;* et quem amnis rapit. Graeci, in tali causa, praecedenti ὃς plerumque non alterum ὃς sed καὶ αὐτὸς subiungunt. Xenoph. Cyrop. III, I, 38. ποῦ δὴ ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀνὴρ, ὃς συνεθήρα ἡμῖν, καὶ σύ μοι μάλα ἐδόκεις θαυμάζειν αὐτόν; qui nobiscum venabatur, *atque illum admirabare.* Latini quidem rarius quam Graeci, loquuntur tamen eodem modo. Cicero Bruto 74. *Omnes tum fere, qui nec extra hanc urbem vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur.* Winerus in Grammatica N. T. p. 173, multos interpretes laudavit, qui formulam utriusque linguae illustrarunt.

I. 247, 248.

Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox
Semper et obtenta densantur nocte tenebrae.

Merito viris doctis *nocte*, quia *nox* praecedit, displicet. Schraderus reponebat *nube.* Mihi requiri videtur *luce.*

Semper et obtenta densantur luce tenebrae.

Poëtae Nocti atrum peplum dedere. Nox est apud Euripidem μελάμπεπλος. Tibullus III, IV, 55 ad somnum transtulit: *te fusco somnus velavit amictu.* Hunc amictum Nox obtendit luci. Conf. Gronov. ad Liv. I, 57. Lux, ita *obtenta*, non apparet. Constructio verbi *obtendere* est duplex: nox *obtendit tenebras luci, et lucem obtendit tenebris.* In hoc spectatur simplex notio *occultandi*, et magis proprium est poëtis, quam

prosaicis. Ita Silius Italicus X, 227. de vento nubes arenarum movente: *obtendit pulvere lucem.* Tacitus, qui orationem minus vulgarem affectat, Histor. III, 56. *Concionanti tantum foedarum volucrum supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent.* Vulgare esset: *nubem atram diei, pro die, ante diem, obtenderent.* Vide ibi Ernest. Si versum Virgilii ad eam rationem exigimus, dixisset: *tenebrae densantur et noctem obtendunt:* quod parum differt ab his: *tenebrae tenebras obtendunt.* Additum aliquid desideratur, illud, quod *obtenditur.* Hoc in tali caussa est *lux.* Roget quis, quomodo, si poëta scripsisset *luce*, hoc corrumpi potuerit in *nocte.* Nescio, nisi oculus librarii in *silet nox* aberrans, et hic *nocte* scripserit. Et omnino multae sunt lectiones, quas ratio et lingua respuunt, neque illae corrigi possunt, nisi eo, quod ratio et lingua clamant, etiam si vocabula plus differant, quam *nocte* et *luce. Nox* tamen et *lux* in Mss. saepe confunduntur. In V. Flacco II, 252, *Iam fuge, iam dubiae donum rape mentis:* legendum — *iam dubiae donum rape lucis.* Rape fugam, donum lucis nondum clarae, cuius fugae occasionem lux adhuc incerta tibi offert. Hypsipyle non cogitaverat de patre Thoante interficiendo: et si, furore incensa, cogitasset, patri non dixisset. Nec, quae patri vitam servat, dat donum *mentis dubiae*, sed *piae*, iam certae servare. Tum verum erat: *Iam fuge, iamque piae donum cape mentis, et ensem Tu potius, miser, ecce, tene.* Ita *ensis* esset *donum.* Scelus illud Lemnium nocte perpetrabatur. Dubia luce, nocte nondum praeterita, fuga erat tutior. Hypermnestra, apud Ovidium, hortatur Lyncea: *dum nox sinit, effuge*, et apud alios, *dum nox favet*, et similia.

I. 295, 296.

Aut dulcis musti Volcano decoquit humorem,
Et foliis undam trepidi despumat aheni.

Servius: „trepidum dicitur, quia, quod bullit, quasi tremere videtur." Hinc Heynius: „proprie mustum est trepidum, quia, quod ebullit, quasi tremere videtur." Ipsum, puto, ahenum super Volcanum, tremit. Virgilius hoc apud agricolas videre potuit. Est iterum epitheton ex vero petitum.

I. 300—304.

Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se laeti convivia curant,
Invitat genialis hiems, curasque resolvit:
Ceu pressae quum iam portum tetigere carinae.
Puppibus et laeti nautae imposuere coronas.

Oratio non recte procedit. Agricolae fruuntur parto, ut, quum carinae portum tetigere, et nautae imposuere coronas. In his particula *et* ferri non potest, nisi velis *ceu carinae parto fruuntur et curas resolvunt,* quod ineptum est. Virgilius in comparatione *ceu quum* posuit IV Georg. 96. *ceu pulvere ab alto Quum venit, et sicco terram spuit ore viator.* Ibi recte *et,* quia est idem viator, qui *venit* et *spuit.* Ita quoque IX Aen. 30. In aliis omnibus exemplis post *ceu quum,* non legitur *et.* Aen. VII, 674. 699. X, 197. XI, 297. Pro *ceu* utitur quoque *ac velut,* v. c. XII, 715. *ac velut, quum tauri incurrunt: cessere magistri, Stat pecus.* Legendum puto:

Ceu pressa quum iam portum tetigere carina,
Puppibus et laeti nautae imposuere coronas.

Poterat et *pressis carinis,* sed sibilus, sequente *puppibus,* hic vetat. *Pressa carina,* est mercibus tantum onusta, quantum portare potest. Et hoc nunc requiritur, quia respondet antecedenti *parto fruuntur.* Heinsius et Burmannus ex coniectura malebant *fessae.* Hoc minus aptum huic loco mihi videtur, quia non agitur de agricolis longo labore fessis, sed parto divitibus, ut genio indulgere possint. *Fessae* alioquin carinae saepe dicuntur, quum longo itinere peracto portum tetigerint, aut in eo sint, ut tangant.

Ovid. XI Metam. 392.

erat ardua turris,
Arce focus summa; fessis loca grata carinis.

Haec quam corrupta sint, nemo non sentit. Ea sic corrigo:

Turre focus summa; fessis lux grata carinis.

Ovidius pharum describit.

I. 316—321.

Saepe ego, quum flavis messorem induceret arvis
Agricola, et fragili iam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere proelia vidi:

Quae gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublime expulsam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hiems culmumque levem stipulasque volantis.

Postrema *ita ferret hiems* interpretes diu et multum vexarunt. Nondum, credo, aliquid inventum est, quo ostenderetur, haec Latino more cum antecedentibus posse coniungi. Poterunt fortasse ita coniungi:

aut turbine nigro
Ferre hiemem culmosque leves stipulasque volantis.

Saepe vidi omnia ventorum proelia concurrere, et segetem ab radicibus eruere, aut hiemem turbine ferre culmos et stipulas. In his mutavit constructionem. Eadem esset: *vidi proelia, quae eruerent, aut hiemem, quae ferret*, vel *vidi proelia eruere, aut hiemem ferre.* Interpretes *proelia ventorum* et *hiemem nigro turbine* ad eandem tempestatem referunt. Sunt, puto, diversa, nec eodem tempore simul furunt proelia ventorum omnia, et hiems turbine nigro. Et leves culmi et stipulae volantes differunt ab eruta radicitus segete. MSS. hic non iuvant, nisi quod in uno est *culmosque leves.*

I. 393, 394.

Nec minus ex imbri soles et aperta serena
Prospicere et certis poteris cognoscere signis.

Reiskius coniiciebat *soles per aperta serenos.* Nec consuetudinis est Virgilianae *aperta* sic cum *serena* coniungere. Coniicio:

Nec minus ex imbri soles et operta serena
Prospicere.

Sol et serena tunc haud dubiis signis prospiciuntur. Iam quasi adsunt, sed adhuc latent, mox proditura: tantum non cernuntur. Aratus, ab Heynio et aliis iam laudatus: *Φάτνην καθαιρομένην πάσης ὑπένερθεν ὀμίχλης.* Eodem modo vs. 465. Sol, *coecos instare tumultus saepe monet fraudemque et operta tumescere bella.* Ibi in uno MS. erat *aperta.* Sunt ignes *suppositi* doloso cineri, ut Horatius talia bella vocat. Statius Silv. V, III, 171. *operta animos incendia servant.* Val. Flacc. V, 521. *Iam dudum fremit, et furiis ignescit opertis.* Claudian. II Eutrop. 559. *fiducia crevit, Regnandique palam flagravit aperta libido.* Ubi melius erat: *operta.* Nam *flagravit, palam, aperta,* idem significant.

I. 399.

non ore solutos
Immundi meminere sues iactare maniplos.

Servius: „*non ore solutos:* scilicet manipulos: alii *soluto ore* accipiunt, id est, nimium patenti. Fuere igitur, qui legerent *soluto.* Heynius: „ita ut solvantur iactando." Illud *ore soluto* parum significaret. Nec manipuli, sive herbarum sive straminum, obiecti vel substrati, erant colligati, ut essent *solvendi.* Plinius quidem N. H. XVIII, 35. de instanti tempestate: „Turpesque porci alienos sibi manipulos foeni lacerantes:" sed Virgilius hic de tali signo non cogitavit. *Foenum* saltem adiecisset. Et foenum, ut stramen, et alia, lacerantur quoque, quamvis non ligata. Scripsit fortasse:

non ore lutosos
Immundi meminere sues iactare maniplos.

Error librariorum frequentissimus in transponendis literis. Ita II Georg. 217; *volueris* — *lucoris.* II, 479. *tumescant* — *senescant.* II, 415. *penates* — *nepotes.* III, 548. *mutari* — *maturi.* Et centies. Interdum versus dimidiati ita sunt corrupti. Val. Flacc. V, 608. *Cras acies, atque illa ducum cras regna videbis Dissona.* Quae sic intelligentur: *cras acies, lingua et cultu cras regna videbis Dissona.*

I. 413, 419.

Iuvat imbribus actis
Progeniem parvam dulcisque revisere nidos.

Claudian. II. Rufin. 266. *Quid nobis patriam, quid cara revisere tandem Pignora, dilectosve iuvat coluisse penates?* Virgilius sic *iuvat revisere;* alii addentes personam, in casu accusativo ponunt. Dativi unicum exemplum inveniri putant in Plauti Cistell. I, I, 118. Sed ibi recte Gronov. praefert *lubet.* Salmasius quidem ad Spartian. in Vero 4, dicit ab antiquis non solum usitari *iuvare aliquem,* sed etiam *alicui.* Exempla non affert, nisi illud Plauti. In Claudiano legam: *Quid nos bis patriam, quid cara revisere tandem Pignora, dilectosve iuvat coluisse penates?* Quid tandem nos iuvat bis revisere patriam? Iidem milites vs. 389. *Bis domitum civile nefas, bis rupimus Alpes. Tot nos bella docent nulli servire tyranno.*

I. 415, 416.

Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.

Sententia loci huc redit: Multa animalia variis modis mutationem coeli praedicunt. Corvi quoque insolita dulcedine sunt laeti, si tempestas serena instat. Sentiunt nempe aërem ex denso fieri rarum, atque ita alios motus in pectore concipiunt. Haec est caussa, cur gaudeant, antea quam ipsa tempestas serena conspiciatur. Nam ingenium et prudentiam divinitus non acceperunt. Sunt animalia, ἄλογα, humana ratione carent.

Iam magna difficultas est in verbis: *aut rerum fato prudentia maior.* Interpretantur duplici modo: Heynius: „*maior fato*, quam fatum, hactenus scilicet, ut, quid futurum sit fato, ipsi praevideant et praesentiant:" et „quia rerum prudentia maior (quam in hominibus esse solet) iis sit *fato*, ut ante *divinitus*, a fato data. „Difficultas mihi non expedita videtur. *Fatum* ita diceretur constituisse, cras fore coelum serenum. Hoc interdum memorari posset, si res gravissimi momenti, puta in bello, a tempestate coeli pependisset; hic memoratu fere est ridiculum. *Rerum fato* et rarum est, et aliud significat, quam quod requiritur: *prudentia rerum* est solita et frequens forma. *Maior prudentia* cum *humana* non recte comparatur. Nam et homines mutationem coeli praesagiunt, idque ex signis, in coelo apparentibus, praesagiunt igitur ingenio et prudentia, ratiocinantur, cum animalia solo sensu ducantur. Si haberent *prudentiam rerum*, similia tantum essent hominibus, non maiora. Nec facile intellectu, quid significent *divinitus aut fatum.*

Reiskius coniiciebat: *Haud* (*equidem credo*) *quia sit divinius illis Ingenium.* Et mihi in mentem venerat: *Haud, equidem ut credo.* Sed parum iuvat. Iuvat:

Haud, equidem ut credo, quia sit divinitus illis
Ingenium, et rerum tanto prudentia maior.

Non, ut equidem credo, quia, quod nonnulli dixere, divinitus acceperint ingenium, et propterea tanto sint prudentiores, quam sine accepto ingenii dono fuissent. Caussa maioris prudentiae repetenda est ex antecedentibus, fere ut formula

tanto melior, felicior, quam egregie exposuit Gronovius in Lection. Plautinis p. 170, 171. "brevis et elegans est laudatio alicuius, post enarratum factum laudabile vel meritum." Exempla plurima attulit. Unum nobis sufficiet. Plautus Bacchid. II, II, 39. cum Pistoclerus dixisset de Bacchide: *Non tantulum intermittit tempus, quin eum nominet.* Subiicit Chrysalus: *tanto melior.* id est: Bacchis est eo pluris facienda, nempe ob hoc factum.

I. 474, 475.

Armorum sonitum toto Germania coelo
Audiit: insolitis tremuerunt motibus Alpes.

Canit prodigia post necem I. Caesaris. Pro *motibus* alia MSS. habent *montibus.* Probat Wakefieldus, et reponit; modo apposuisset, ait Heynius, quid sint *insoliti montes.* Poterat, credo, explicari *qui non solent tremere.* Sed Plinius narrat Alpes saepe tremuisse. Vel sic tamen mihi *insoliti motus* non placent. Indicant enim, motas Alpes rem esse minime raram, et Romanos ei assuefactos, ut plane non terrerentur. Prodigium per *insolitos motus* non istum affert metum, qui postulatur in his versibus. Et loci Pliniani alia est sententia. Poëtica oratio erat:

in solis tremuerunt montibus Alpes.

Solis terrorem, et moestam prodigii faciem auget. Licet Alpes saepius tremuerint, quis novit, an, qui tunc vivebant, unquam audiverint. Erat et poëtica oratio:

in solidis tremuerunt montibus Alpes.

quos diceres non posse tremere. Manil. I, 103. *Arderent terrae solidusque tremisceret orbis.* Ita *solidae* columnae, marmor; alia, v. Burm. Anthol. I, 729.

I. 512—514.

Ut quum carceribus sese effudere quadrigae,
Addunt in spatio, et, frustra retinacula tendens,
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Locus difficillimus. Heynius et Wagnerus post multos alios omnia tentarunt, quae tentari posse dixeris, ut explicaretur. Nihil, credo, restat, nisi ut corruptum esse statuamus. Conieci:

Ut, quum carceribus cursum effudere quadrrigae,
Addunt in spatio.

In Servio legimus: „quemadmodum in processu equorum cursus augetur," et: „currendo plus eorum cursus augetur." Qui sic interpretantur, hos *cursum* vidisse dicas. Iam adspice singula. Quadrigae *effundunt cursum*, exquisite, pro *effusae carcere ruunt*, ut alibi dixit. Hinc illa *cursu effuso*, historicis praesertim usitata. Seneca Hippol. 1000. *Ut profugus urbem liquit infesto gradu, Celerem citatis passibus cursum explicans. Addunt* cursui cursum, semper augent cursum, citius citiusque proripiuntur: *addere gradum, pedem, viam*, similia illustravit Heinsius. Ut dicitur *addere gradum*, ita Statius IX Theb. 182, dixit *effundere gradum:* attulit h. l. Cortius ad Lucan. IV, 270. *ut effuso Caesar decurrere passu Vidit.* Denique *in spatio*, est, dum spatiantur, spatiando, *eundo*, ut in notissimo versu *vires acquirit eundo.* Lucretius VI, 300, sq. *Fit quoque, ut interdum venti vis, missa sine igni, Ignescat tamen in spatio longoque meatu.* Mox idem variavit Lucretius, *volando* et *in cursu.*

Quod autem Virgilius hanc partem de cultu arvorum et sideribus coeli ita finivit, hoc mihi nimis abruptum et minus facetum videtur. Fortasse librariorum culpa accidit, ut vs. 498—502 hinc in alienum locum sint repositi; qui, si hic legerentur, totum illud excellens episodium de nece Caesaris, de bellis civilibus et Octaviano meliorum temporum futuro auctore, longe excellentius efficerent. Nunc omnia ista facili et commodo nexu carent. Quin ipsa *iam pridem* vs. 501 et 503, sic, sine vi probabili iterata, ordinem turbatum ostendunt. Tum vero praeclarus ordo nascitur: Sol dat signa rei futurae certissima. Ille nunquam fallitur. I. Caesare exstincto, tenebris se involvit, miseratus Romam, et prospiciens miserias ex illo facinore secuturas. Quamquam et alia prodigia minarentur bella civilia. Et vidimus ista bella. Victor fuit Octavianus Caesar. Sed quales victoriae sunt civiles! O Caesar, iam pridem te coelum nobis invidet et queritur te ista curare, quae animi tui magnitudine sunt minora. Nec sane est, cur diutius in hac turba et colluvione morari velis, et terras incolere, ubi tot scelera regnent. Sed nostra salus a te pendet. Tu solus es, a quo servari possimus. Dî patrii, qui I. Caesarem interiisse sivistis, hunc Caesarem sal-

tem ne prohibete, quo minus everso saeculo succurrat, et perficiat, quod Iulius cogitavit.

GEORGICON LIBER II.

II. 14, 15.

Pars autem posito surgunt de semine: ut altae
Castaneae, nemorumque Iovi quae maxuma frondet
Aesculus, atque habitae Graiis oracula quercus.

Virgilius vs. 9—19, docet, quid natura creandis arboribus faciat. Aliae sponte veniunt, (eas tamen *ex semine* creari ignorabat poëta) aliae de posito semine, aliae ex radice pullulant. Servius ista optime interpretatur: „Creandarum arborum naturaliter sunt tria genera: aut enim sua sponte nascuntur: aut ex seminibus fortuito iacentibus surgunt: aut ex radicibus pullulant; nam caetera usus invenit, favente natura." Ita quoque alii, et Heynius: „ex iis, quae dicta sunt, intelliges alienas esse a poëtae mente argutias, ut *sponte venire* dicantur arbores, semine non proiecto, sed temere cadente: *posito de semine*, opera et industria hominum in terram sparso et defixo. „Burmannus scilicet ita accipiebat. Sed exempla, ab eo allata, manifeste ostendunt, semina (hic nuces castanearum, aesculorum, quercuum) *posita*, tribui operae hominum. *Positae frondes* non significat, quod hic requireretur. Et hoc toti sententiae repugnat. Servius: „*Posito*: quacunque ratione proiecto, vel ab avibus, vel ab hominibus, ne incipiat esse industriae. Dicit quippe plerasque arbores ex semine nasci, non studio hominum, sed quocunque modo et eventu." Et hoc recte: modo rectum esset *posito.* Pro *posito de semine* aliud legendum est, v. c.:

Pars autem proprio surgunt de semine:

atque hoc ita fieri, ut glandes maturae, ex arboribus lapsae, variis caussis humo tectae, tumescant, radices agant, et surgant, quotidie videmus. Ipse Virgilius II Georg. 57. *quae seminibus iactis se sustulit arbos.* Nunquam ibi dixisset *seminibus positis.* arbor *iacit semina,* ea sponte vel fortuito terram subeunt, homines *ponunt*, et *disponunt.* Plinius H. N. XVII, 10. iam ab aliis laudatus: *ac pleraque ex his ipsis natura*

docuit, et imprimis semen serere, quum decidens exceptumque terra vivesceret. Sed quaedam non aliter proveniunt, ut castaneae, iuglandes. Ut *proprio de semine*, Val. Flaccus V, 477. *ipse egomet proprio de sanguine Phrixi.*

II. 20—22.

Hos Natura modos primum dedit; his genus omne
Silvarum fruticumque viret nemorumque sacrorum.
Sunt alii, quos ipse via sibi reperit usus.

Quid *via* significet, haud facile dictu est. Multa viri docti ad explicandum attulere, multa coniecere. Burm. et Heynius interpretantur: *via, ratione, industria*, et *experientia*, adduntque, *ut centies apud nostrum et alios.* Contenti simus nostro. Hic: *inveni viam, quâ: si qua via est: quaecumque sit via: quamcumque viam fortuna dederit: agrestes ignari sunt viae, hos mecum miseratus, o Maecenas, ingredere: via domandi pecoris: via colendi agri.* Nihil, ut nemo non videt, simile. Nusquam *via* sic simpliciter positum. *Modi* et *viae* in hac re non differunt. Usus reperit *modos*, reperit *vias*, recte. *Usus reperit modos viâ*, vereor ut dici possit, minime de hominibus, qui agriculturam nondum certa ratione et methodo exercebant, sed, necessitate coacti, et experientia docti, novas vias exercendae investigabant et ingrediebantur. Fortasse hic proficere possumus ex Servianis: „Bene *primum.* Nam favor naturae fuit etiam ad alios inveniendos usus: contra naturam enim nihil hominum inventum valeret." Ubi legendum: *ad alios inveniendos usu.* Eadem Serviana: „*Repperit*: adinvenit; et dicit illa, quae prius dixerat, ex ipsa natura omnem originem ducere; haec autem, quae sequuntur, usu et studio adinventa sunt, non obsistente tamen in his etiam natura."

Secundum hanc veterum sententiam Virgilius scribere potuit:

Sunt alii, quos ipse una sibi reperit usus.

Natura primum dedit tres modos: hi sunt naturales. Sunt et alii, quos homines invenerunt usu et experientia, non illi quidem ita statim a natura profecti, sed qui tamen sine natura favente et iuvante adhiberi non potuerunt. Hos usus sibi reperit una cum natura. Notio *iuvandi* est in *una*: II Georg. 39. *Huc ades; inceptumque una decurre laborem:* nam

sine te, ut alibi dicit, *mens nihil altum inchoat*. Erunt fortasse, qui ex Servianis *etiam* malint.

Sunt alii, quos ipse etiam sibi reperit usus.

Et in uno MS. est *viam*. Verba Servii *fuit etiam, adinvenit, adinventa*, eo ducere videri possunt. Ego *una* praefero.

II. 39—46.

Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famae merito pars maxima nostrae,
Maecenas, pelagoque volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto;
Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox; ades, et primi lege litoris oram;
In manibus terrae; non hic te carmine ficto,
Atque per ambages et longa exorsa tenebo.

Si recte video, hoc dixit: „o Maecenas, da mecum vela pelago, et, in altum provectus, procul terras linque. Lege mecum litus, et terrae sint propinquae." Ergo dixit, quod sibi adversa fronte resistit. Pete uno eodemque momento mecum media alta, et rade oras litoris. Ego suam Virgilio manum restituisse mihi videor, mutato *da* in *dare*, et versibus ita transpositis:

Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famae merito pars maxima nostrae.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
Maecenas, pelagoque volans dare vela patenti;
Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox; ades, et primi lege litoris oram;
In manibus terrae; non hic te carmine ficto,
Atque per ambages et longa exorsa tenebo.

Haec, credo, sunt Latina, et perspicua. Multis exemplis ea ornare possem. Sed cui bono? Qui poëtas legerunt, non ignorant. Conferantur modo interpretes ad Horat. IV Carm. xv, 4. apposite Nemesian. Cyneg. 58, sq. *talique placet dare lintea curae; Dum non magna ratis vicinis sueta movere Litoribus, tutosque sinus percurrere remis, Nunc primum dat vela notis, portusque fideles, Linquit, et Hadriacas audet tentare procellas.*

II. 47—51.

Sponte sua quae se tollunt in luminis oras,
Infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt:
Quippe solo natura subest. Tamen haec quoque, si quis
Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint silvestrem animum.

Non hic quaeritur, quae sit *natura soli*, sed ipsarum arborum. *His* natura subest; hanc habent naturam, indolem, ingenium, ut laetae et fortes surgant. *Solum* aliquid facit, sed cum natura comparatum, non satis, vel hic potius, nihil, ut caussa dicatur, cur arbores ita surgant. In solo fecundissimo multae sponte surgunt, altera altera laetius ac fortius, multae etiam manent parvae et exiles, imo moriuntur tenerae. Cur? quia natura deest, neque hoc iis ingeneratum est, ut celeriter et prospere crescant. Pro *solo* in duobus MSS. legitur *soli.* Hoc interpolatum putant, ad vulgarem loquendi modum. Ego in MSS. istis vestigium legitimae scripturae agnosco:

Quippe ollis natura subest.

In Servianis, (nam quae nunc Servii dicuntur, ea conflata sunt ex variis antiquorum interpretationibus) et haec inveniuntur: "*Laeta et fortia*: quasi hoc in ipsis arboribus genus sit fecunditatis." In glossa Reg. II. "sub arbore latet: nempe natura." Et Quintil. Inst. Orat. X, 2. iam a Burm. laudatus: *Namque iis, quae in exemplum assumimus, subest natura et vera vis: contra omnis imitatio ficta est, et ad alienum propositum accommodatur.* Quintilianus quoque *ollis* legisse videtur. Nam *exempla* talia praestantiam illam non aliunde acceperunt, sed in se ipsa habebant, non facta, sed nata sunt.

II. 67, 68.

etiam ardua palma
Nascitur, et casus abies visura marinos.

Minus eleganter *casus marinos.* Arbores, abies, alnus, pinus, in navigia caesae, locum mutant, et pro agris et montibus vident ipsae alia loca, fluctus, scopulos, orbem peregrinum, ut Ovid. I Metam. 94. *Nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem, Montibus in liquidas pinus descenderat undas.* Sedes mutatae, ita oppositae, imaginem habent pulchriorem,

quam *casuum marinorum.* Quid autem sunt *casus marini?* Puto, varii casus, errores, venti adversi, piratae, rupes, praesertim tempestates, *qualia multa mari nautae patiuntur in alto*, ut alibi dicit Virgilius. Atque huiusmodi casus subeunt *nautae*, non ita *naves.* Tacitus v. c. II Ann. 23. *Mox atro nubium globo effusa grando, simul variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire: milesque pavidus, et casuum maris ignarus, dum turbat nautas, vel intempestive iuvat, officia prudentium corrumpebat.* Abies igitur visura est *casus nautarum.* Hoc imaginem non facit pulchriorem. Virgilius multis modis elegantius scribere potuisset, v. c. *fluctus marinos, salsas lacunas, campos marinos*, alia; vel, omissa loci mutatione, *abies apta fretis, amica fretis, fluctibus*, sim. Quod quum non fecisse videatur, ego fortasse hic fui morosior, quam decebat.

II. 81, 82.

Exiit ad coelum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondis et non sua poma.

Multa varietas in MSS. *miratasque, mirataque, mirata estque.* In Medic. *miraturque* a manu sec. Servius: „*Mirata estque novas frondis et non sua poma:* insignis phantasia: et sane *mirata estque* legendum est, ut stet versus." Servium, et antiquiores Servio, vidisse coniicio *Mirata novas frondis et non sua poma:* Quod quum metro repugnaret, variis modis esse emendatum. Quidquid caussam corruptelae dederit, sive vocabulum inductum, nec superscriptum, sive superscriptum legi non potuerit, Virgilius, credo, voluit:

Mirata ipsa novas frondis et non sua poma.

Silius Ital. VII, 205 sq. vidit *mirata.* Ubi primum ungula dispersit rores, *Uviferis late florebat Massicus uvis, Miratus nemora et lucentes sole racemos.* In hac re *ipsa* est Virgilianum I Georg. 103. *Ipsa suas mirantur Gargara messis.* Auctor Ciris vs. 80, 81. *Heu quoties mirata novos expalluit artus, Ipsa suos quoties heu pertimuit latratus.*

II. 95.

Sunt et Aminaeae vites, firmissima vina.

Appositio *vites vina* Burmanno durior videbatur. Coniiciebat *Dant etiam Amineae vites firmissima vina.* Mihi in mentem venit:

Sunt et Aminaeae vitis firmissima vina.

II. 128.

Pocula si quando saevae infecere novercae.

In detestandis novercis nemo est acerbior, quam Seneca in Tragoediis. Ita v. c. Hippol. 557. *Taceo novercas. mitius nil est feris.* Ibi Petitus legit: *Taceo novercas (mitius nil est) feras.* at Gronovius interpretatur: quarum comparatione etiam ferae non sunt ferae. Fortasse melius: *Taceo novercas. Mitior nulla est feris.* Ita Herc. Oet. 236. Scylla *Minus est timenda. Nulla non mitior fera est.* Lucan. VIII, 599. *nullaque ferarum Mitior in caedes.* Nam Latinum est: *novercae sunt non mitiores feris,* et, *ferae sunt mitiores novercis.* Ut Ovidius: *Mitius inveni, quam te, genus omne ferarum.* Ante omnes Hercules sensit Iunonem. Herc. Oet. 29. queritur Iovi: *Si negat mundus feras, Animum noverca, redde nunc gnato patrem, Vel astra forti.* Legendum: *Si negat mundus feras, Animum novercae redde nunc, gnato pater Vel astra forti.* Iuno nunquam negat animum vexandi Herculis. Deerat materies. Ideo animum demisit. Resumat animum. Novos labores quaerat, vel tu me in coelum recipe.

II. 140—142.

Hoc loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertere satis immanis dentibus hydri;
Nec galeis densisque virum seges horruit hastis.

Ingrata verborum constructio. Iacobsius prolepsin assumit in *satis,* pro *ut sererentur,* et *satis* dativo casu positum accipit. Wagnerus: *invertere loca dentibus hydri,* scilicet *serendis,* quales ab Iasone satos accepimus. Si legimus:

Haec loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertere, satis immania dentibus hydri;

oratio non tantum fit expedita, sed etiam versus ipse sonum nanciscitur multo suaviorem. Non tauri ignem spirantes haec loca invertere, non immania sunt satis dentibus hydri. V Flaccus h. l. ante oculos habebat VII, 75 sq. ubi pro *everso campo* Heinsius restituit *inverso.* Et Flaccus, et omnes, semper Virgilium sequebantur, tanto sibi visi meliores, quanto propius ad eum accederent, Hinc emendandum, quod legitur VIII, 9. ubi Medea facit, quod Dido apud Virgilium: *Atque haec impresso gemuit miseranda cubili.* Legamus: *Atque haec*

os impressa gemit miseranda cubili. Dido: *Dixit; et os impressa toro.*

II. 265—268.

At si quos haud ulla viros vigilantia fugit:
Ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus seges, et quo mox digesta feratur,
Mutatam ignorent subito ne semina matrem.

Aliquem *non ignoro*, est, *scio qui sit*, aliquem *ignoro*, contra *non scio qui sit.* Hinc facilis est transitus ad eam significatioqua *aliquem ignorare* dicimur, quem, qui sit, cognoscere nolumus, non possumus, idque variis de caussis. Facilis ille transitus cernitur in illo VII Aen. 202. *Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos:* ignoti nempe est nulla cupido, ubi nulla cupido, ibi saepe contemtus. Cf. Gronov. ad Terent. Eunuch. V 19, 59 et Ruhnken. ad Phorm. II, III, 10. Burm. ad Ovid. Heroid. II, 105. *Utque tibi excidimus, nullam, puto, Phyllida nosti. Hei mihi! si, quae sim Phyllis, et unde, rogas.* Ovidius imitatur Philodemum, cuius epigramma est in Anthologia: *ἡ δὲ πάρος σε καλοῦσα μύρον καὶ τερπνὸν Ἄδωνιν, Μηνοφίλα, νῦν τοι τοὔνομα πυνθάνεται. Τίς; πόθεν κλ.* Ad eam rationem accipi potest versus Virgilii: *ne semina ignorent matrem mutatam:* et accipitur. Heynius: *„mutatam subito matrem,* novam, ignotam terram, *ne ignorent*, adeoque nec adsuescant, nec in ea proficiant, nihil ferant.“ Non tamen diffiteri possum, mihi minus placere illud *ne ignorent* ita positum, et *subito* a *mutatam* separatum. In multis MSS. est *mutata.* Iam *mutata subito* metrum vitiat. Hinc, puto, transposuerunt: *mutata ignorent subito.* In uno MS. legitur: *subito ignorent.* Dulcior, me iudice, est imago, si legimus:

Mutatam subito ignorent ut semina matrem.

Qui semina arborum ponit in seminario, unde post transferat in stabilem sedem, ille curet, ut natura utriusque loci sit eadem, ut ipsa semina nesciant se subito matrem mutasse. Res eadem est in nutricibus. Infans, uni assuetus, subito accipit alteram. Si nutrices sint aetate et valetudine similes, infans mutationem non sentit. Hinc illud de privignis, quibus bona noverca contigit: *ignorant se matrem mutasse.* Burm. ostendit imitationem Calpurnii II, 50. *succos*

ne forte priores Languida mutata quaerant plantaria terra. et Columellae X, 153. *sicco ut consuescat pulvere planta Nec mutata loco siccos exhorreat aestus.* Plantae istae matrem priorem non quaerunt, neque alteram exhorrent, quia ignorant, aliquid esse mutatum, non sentiunt. Claudian. Laud. Stil. I, 149. *tantoque remoto Principe, mutatas orbis non sensit habenas.* Illud *non sentiunt* magis elucet in *ut ignorent*, quam in *ne ignorent*, in quo est *scientia*, quum in altero semina in suum ipsorum commodum tacite quasi decipiantur. Caeterum in tali caussa videndum, referasne mutationem ad veterem, an ad novam rem. Nam utroque referri potest. Hic *mutata mater* est *novus* locus, et cogitatur, mutata cum eo, ubi *prima parata est seges.* Ita Ovid. Pont. I, II, 65. *Non tamen ulterius quidquam sperove, precorve, Quam male mutato posse carere loco.* Quod minus recte praestantissimus Heinsius corrigit: *male mutando.* Ovidius *male mutaverat* Pontum cum patria. Neque illud ex Ponto II, II, 98. *Sit tua mutando gratia blanda loco.* huc pertinet. Ibi enim amicum sua gratia intercedere vult, ut Augustus *locum mutet*: erat gratia tentanda, pro *loco mutando.*

II. 291—297.

Aesculus in primis: quae quantum vertiee ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt; immota manet, multosque nepotes,
Multa virum volvens durando saecula vincit.
Tum fortis late ramos et brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.

Horum versuum praestantiam omnes admirantur. Ego quoque admiror, adeo ut perfectos appellare non verear, si tamen duo transponantur. Postremi nempe cum aliis non satis cohaerent. Sic positi, ut nunc leguntur, melius abessent. Nemo tamen hic offenditur. Vossius autem languidum illud *tum fortis* sq. sensit. Nam emendavit: *tam fortes:* pro *tendens* in nonnullis MSS. est *pandens*, quod Heinsius recte praefert, quia *tendit* brevi intervallo praecessit. Nunc mihi lege versus ita dispositos:

Aesculus in primis: quae quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit,

Tum fortis late ramos et brachia pandens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt; immota manet, multosque nepotes,
Multa virum volvens durando saecula vincit.

Pauci, credo, erunt, qui versus ita ordinatos, non magis etiam sint admiraturi. *Virum*, id est, *hominum*, sic saepe poëticam orationem ornat. V. Flacc. V, 109, de canibus bellatoribus: *Inde etiam par mortis honos; tumulisque recepti Inter avos positusque virum.* Burm. non accipit Heinsii *positique*, ipse se haerere fassus. Coniicio: *inter avos proavosque virum.*

II. 323.

Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis.

Burm. coniiciebat, *ver utile sulcis*, quia, ut putat, *frondi nemorum* et *silvis* idem est. Heynius non laudat: copia orationis, ait, sine synonymis nulla esse potest. Ego tale argumentum non laudo. Nam non plus valet, quam si dixerim: copia orationis sine vocabulis esse non potest. Quaeritur, ni fallor, quaenam sint vocabula. Synonyma quidem, si non sunt, ut non sunt, non efficiunt copiam orationis. Vossius *nemora* explicat arbores plantatas, *silvas* sponte natas. Et sic antiqui. Servius ad I, Aen. 310 „*nemus* composita multitudo arborum: *silva*, diffusa et inculta." Ovidius *nemora* et *silvas* saepe coniungit. II Metam. 438. *huic odio nemus est et conscia silva.* Ibi erat in MS. *Venus.* Burmannus: „ne bis idem dicat," et tamen alia Ovidii exempla affert, ut ex Arte: *silva nemus non alta facit.* Sed sunt diversa. Quare versum nostrum aliter esse distinguendum arbitror:

Ver adeo frondi, nemorum ver utile silvis.

Ver utile est frondi et arboribus: ornate, ut in poëmate, frondi et silvis nemorum, silvis, quae faciunt nemora.

II. 324—329.

Vere tument terrae et genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether
Coniugis in gremium laetae descendit, et omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus.

Heynius: „Pulcerrimus versus (324), ut totus locus, quem imitatione expressum vide apud Columellam X, 197 sq." Huiusmodi animadversiones saepe risu exceptae sunt, et nunc interdum excipiuntur. Qui faciunt, non cogitant, quantam eae olim habuerint utilitatem, et hodie quoque, non omnibus quidem, sed multis, qui in his literis non satis versati, veteres poëtas tamen legere amant. Vellem modo, vir doctus, ideoque, si quisquam, modestus, hic illic pro admiratione adhibuisset interpretationem. Equidem ego non satis intelligo, quid *alit* significet. *Aether alit fetus*, non potest accipi, ut nutrit, sustentat fetus, alimenta, ex tellure nata, fetibus praebet. Nam unica hic quaestio est de *amore*, quo, tempore veris, omnia rapiuntur ad *creandum* et *pariendum*. Est sacrum connubium aetheris et terrae, *ἱερὸς γάμος*, multis poëtarum, in utraque lingua, versibus cantatum. Ad hoc exemplum caetera omnia tunc celebrant suum connubium. Iam mihi hoc mirum accidit, quod, quum pater fecundis imbribus in gremium coniugis descendat, eosque imbres magno corpori infundat, *omnes fetus alere* dicatur. Putabam hoc esse *terrae matris*, quae primum fetus utero conceptos *alit*, mox parit. Suspicor Virgilium scripsisse:

Coniugis in gremium laetae descendit, et omnes
Magnus agit magno commixtus corpore fetus.

Aether in gremium coniugis descendit, seque cum magno corpore miscens, ex eo corpore *agit* omnes fetus, omnia quibus homines et animalia nutriuntur, non *alit* fetus in magno corpore coniugis, hoc ipsa coniux facit. Proprie *mater* pariens *agit* fetus, fetus in lucem edit. Nunc pater agit, qui matre impleta, auctor est, ut ea possit *agere*, quod exquisite expressum, ipse *agit*. Virgilius ita loquitur II Georg. 130, de pomo, quod *membris agit atra venena*, hoc est, expellit, exigit. Idem alibi saepe, et mox idem extulit per aliud verbum, *pampinus trudit gemmas*. Talia sunt arbor *agit radices*, *metus sudorem*, caet. Sunt etiam exempla, in quibus *agere membris* significat *iniicere membris*. Sed hoc ad nostrum versum accommodare nolim, quum legatur *corpore*, idque tam ad *commixtus* quam ad *agit* pertineat. Caeterum *agere* et *alere* saepe in MSS. confunduntur. Notum est illud Ciceronis pro Archia 7.

Haec studia adolescentiam alunt. Sententia, quam in his versibus explicavi, eadem est in Lucret. I, 251 sq. *Postremo pereunt imbres, ubi eos pater Aether In gremium matris Terrai praecipitavit. At nitidae surgunt fruges, ramisque virescunt Arboribus; crescunt ipsae, fetuque gravantur. Hinc alitur porro nostrum genus atque ferarum.*

Heynius, et quis non ante Heynium, imitationem Columellae attigerunt. Ea imitatio est una de ineptissimis, quas unquam vidi. Virgilius sacrum connubium verbis honestissimis ad rationem connubii humani depinxit. Quatuor magni poëtae versus plus habent maiestatis et elegantiae, quam toti viginti quinque Columellae. Talis poëta tales versus non calamistris inurere, sed ab imitandis deterreri debuerat. Notum est praeceptum Ciceronis de Commentariis Iulii Caesaris, utilissimum illud, ad continendos quoque poëtarum impetus. Quod Columella in Virgilio commisit, hoc alii in scriptore sacro commiserunt. Nihil verecundius nihil sublimius cogitari dicique potuit, quam quod angelus Gabriel dixit Mariae, virgini sanctae, apud Lucam: Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σὲ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι, διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον κληθήσεται υἱὸς θεοῦ. Poëtae hoc effato contenti esse poterant, et, si usquam, hic modum ingenii tenere debuerant. Quid autem veteres Christiani, quid recentiores, inde a Iacobo Sannazario? Narrare vereor, et explicare me pudet.

II. 336—338.

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim.

Ex his et aliis nostri versibus Claudianus de Mallii Theod. Cons. suos composuit: vs. 251 sq. *Vel quis non sitiens sermonis mella politi Deserat Orpheos blanda testudine cantus? Qualem te legimus teneri primordia mundi Scribentem, aut partes animae per singula.* Virg. Ecl. VI, 30. *Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea. Namque canebat — — ut his exordia primis Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis.* Quod ad *partes animae per singula*, sunt Virgilii ex Aeneide, *totam infusa per artus mens agitat molem.* Virgilius erat poëtis Romanis, quod Homerus Graecis. Multi versus obscuri ex illa luce illustrantur.

II. 340, 341.

Quum primae lucem pecudes hausere, virumque
Terrea progenies duris caput extulit arvis.

Mundus vere natus est. Tunc natae pecudes, tunc progenies virum. Sed cur *terrea?* alii praeferunt *ferrea.* Utrumque habet difficultatem. *Terrea* nihil fere significat; nam homines qui *caput extulere arvis*, non aliunde nati intelliguntur, quam ex terra: *ferrea* appellari non potest prima illa progenies, nisi esset ipsa *aetas ferrea*, pessima ex quatuor, vel gens illa ex dentibus draconis sata. Atque hae difficultates non latuerunt interpretes. Omnino requiritur:

Aurea progenies duris caput extulit arvis.

Vetus Mythologia variis modis traditur. Poëtae, ut Heinsius et alii saepe animadverterunt, modo hanc, modo illam narrationem sequuntur. Virgilius ipse sibi hanc libertatem sumit. In Ecloga VI, 31, sq. mundi exordia sic describit, ut post explicatum chaos, mundi tenerum orbem concrevisse dicat, tum solem luxisse, silvas surrexisse, animalia per montes errasse: *Hinc lapides Pyrrhae iactos, Saturnia regna.* Ibi progenies virum *aurea* nascitur ex lapidibus: nam *Saturnia regna* sunt, per appositionem, *lapides Pyrrhae.* Ovidius in Metamorphosi, post hominem creatum e terra sive ab opifice mundi, sive ab Iapeto: *aurea prima sata est aetas.* Vocabula *aurea* et *ferrea* seu *terrea*, si praesertim maiusculis literis scribuntur, non multum differunt: et sententia loci hoc adeo poscit, ut cuivis in mentem venire debeat. Oudendorpius ad Frontin. Strateg. IV, 1. „*Terrea*, non *ferrea*, cum viris doctis scribendum est, ut Phylargyrius, Lactantius, et ipsa docet ratio. Loquitur enim Maro de recens natis hominibus, quibus epitheton *aurea* magis convenisset, quam *ferrea.*"

II. 360, 361.

Viribus eniti quarum, et contemnere ventos Assuescant.

Non, ut *eniti* explicem, affero versus V. Flacci II, 462 sq. sed fortasse emendem: *Constitit Alcides; visuque enisus, in alta Rupe truces manicas, defectaque virginis ora Cernit, et ad primos turgentia lumina fluctus.* Hercules audiverat sonos vocis, nescius unde. Sequitur vocem. Vox ducit in rupem. Ille *visu enisus* cernit virginem. Illa erat Hesione, ut postea cognovit.

Quid *visu? Enisus* intelligitur. *Visu* Burm. exponit: *loca obstantia visu superat.* Ingeniose, si Latine. Non minus obscura sunt *ad primos fluctus.* Pro *fluctus* in optimis MSS. *fletus.* Omitto coniecturas Heinsii et aliorum. Meae sunt: *Constitit Alcides; miseraeque, enisus, in alta Rupe truces manicas defectaque virginis ora Cernit, et assiduos turgentia lumina fletus.* Flaccus amat constructionem *turget fletus,* pro *fletibus.*

II. 371—379.

Texendae saepes etiam, et pecus omne tenendum,
Praecipue dum frons tenera imprudensque laborum:
Cui, super indignas hiemes solemque potentem,
Silvestres uri adsidue capraeque sequaces
Illudunt, pascuntur oves avidaeque iuvencae.
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas,
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix.

Sententia facillima. Saepes texendae sunt, quae omne pecus arceant a vitibus, praecipue dum tenerae sunt. Nam nec frigus nec calor tantum iis nocent, quantum greges. Ita fere scripsisset Plinius vel Columella. Oratio poëtica alia est. Vult ornamenta quaedam. Et hic ea habet pulcherrima, si tres versus 373—375, excipias. Uri, capreae, illudunt tenerae vitium frondi, plus, quam hiemes et sol *illudunt.* Frigida tempestas et nimius calor *illudunt frondi,* quis unquam dixit? *Illudere* est tamquam *ludendo corrumpere.* Si *capreae,* parvum animal, modo hanc modo illam frondem arrodens, petulanter perdit, recte dicitur *illudere frondi,* non recte dicitur de *uro.* De *capreis,* accipio. Ita I Georg. 181 *variae illudant pestes.* At quaenam pestes? exiguus mus, capti oculis talpae, et bufo. Iam tibi *uros* propone. *Sunt,* ait Caesar B. G. VI, 28, *magnitudine paullo infra elephantos, specie et colore et figura tauri. Magna vis eorum et magna velocitas; neque homini neque ferae, quam conspexerint, parcunt.* Qui tales feras tenellis palmitibus facit *illudentes,* is Herculi soleas infantis aptat. Unus nimirum urus totas vineas conculcat et eruit. *Uros* interpretantur hic *boves silvestres, bufalos,* ex III Georg. 532. Sed hoc, puto, multum, differt. Virgilius ibi describit pestem,

quae in regionibus, hodie Stiria et Carintia appellatis, saeviit, *tanto* ante suam memoriam. Eratne nunc quoque metus, ne *bufali* impune in locis cultis vagati, vineas infestarent? Multi non credunt, et Cerda coniicit *silvestres tauri* vel *ursi*, Schraderus *hirci*. Iam constructio *cui illudunt*, *pascuntur oves*, pro *cui illudunt*, *quam pascuntur oves*, admodum dura est. Non repugnabat linguae, *quam illudunt*, *pascuntur oves*; sed vel sic particula *et* vel *que* ante *seu* post *oves* desideratur.

Adsidue autem metro implendo infartum videtur. Quid refert, utrum uri et capreae *assidue* illudant an *semel*. Frondes tenellae, ita allusae mortuae sunt, mortuae saepe stirpes, aut diu mortuis similes. Etiamsi tamen paullo minus morsu venenato caprearum corrumperentur, *adsidue* parum in hac sententia significat. Quod autem non multum significat, hoc non est Virgilianum. Omitto, quae certe tamquam insolita, in *sequaces capreae* et *hiemes indignae* notari possent. Neque adeo plura reprehendere attinet. Nam, etiamsi quis ostenderet, omnia, quae adhuc de tribus versibus dixi, inclementer et temere esse dicta, vel una me caussa ab iis agnoscendis deterreret. Apparebit, quid velim:

Texendae saepes etiam, et pecus omne tenendum,
Praecipue dum frons tenera imprudensque laborum:
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas,
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix.

Haec sunt pulchra, apta, rotunda, nihil deest, superest nihil, sunt Latina, verbo, sunt Virgiliana. In eiectis tribus versibus omnia non tantum contra, verum etiam idem omnino significantia, sed, modis peioribus, auctiora solum, adiectis caprearum, iuvencarum et urorum nominibus. Corruptela textus genuini sine dubio est antiqua. Sed Virgilius ista, ne primo quidem impetu, chartis illudere potuit. Quae ipsum emendasse constat, omnia sunt meliora.

II. 385—392.

Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni
Versibus incomtis ludunt, risuque soluto;

Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis:
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea foetu:
Complentur vallesque cavae saltusque profundi,
Et quocumque deus circum caput egit honestum.

Heynius: „*oscilla* h. larvas e corticibus factas, quales etiamnum in monumentis occurrunt, ex arboribus suspendebant; ea h. l. *mollia* h. mobilia, pendula. Exhibuit gemmam haec *oscilla* referentem, Spencius Polymet. Pl. XX. fig. 2. Idem elegantissimi ingenii vir pulchre originem et caussam huius ritus in eo reperiebat, quod eos Bacchi vultus appensos vento impelli quaquaversus et converti volebant agricolae, quoniam qua ille Deus faciem converterat, summa agri ubertas sequi credebatur." Coniectura admodum verosimilis: sed *oscilla* a *larvis* distinguo. Larvae istae e corticibus ostendebant caput horrendum et turpe: Bacchus habebat caput honestum, pulchrum. *Oscilla,* sunt parva ora, parvae imagines oris, vultus: *mollia,* quia ex argilla, vel alia materie ficta; semper formosa, quia Deus, cui tunc suspendebantur, formosus. Bacchus ita mille oculos in honestis capitibus quaquaversus circumferebat ex arboribus, quae oscilla suspensa gestabant. Quascumque autem partes adspiceret, ibi erat summa vinearum fertilitas. *Vineae* adeo praesertim in vallibus et saltibus florebant. Heynius: „*Valles saltusque* si vitibus consita loca, ut probabile videtur, hic expressa sunt, improprie dicuntur de vineis, in plano et in collibus, seu locis asperis, adeoque et saltuosis, satis." Eandem difficultatem animadverteram. Omnia, puto, melius intelligentur, versibus transpositis:

Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Complentur vallesque cavae saltusque profundi;
Et, quocumque deus circum caput egit honestum,
Hic omnis largo pubescit vinea foetu.

Suspendunt oscilla ex alta pinu. Valles et saltus iis complentur. Et quocumque deus, in oscillis, caput circumagit, ibi maxima est vinearum ubertas. Mutavi *hinc* in *hic.*

II. 398.

Cui nunquam exhausti satis est.

In Med. *exhaustis.* Prima sequens litera male repetita. Boeth. IV, 1. *atque ubi iam exhausti fuerit satis.*

II. 405—407.

Iam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus, et curvo Saturni dente relictam
Persequitur vitem attondens, fingitque putando.

Servius: „a se paullo ante desertam." Burm. „neglectam tondere, praeteritam." In eo reprehenditur negligentia rustici: sed hoc non fert *iam tum* et *acer.* Alii interpretantur „relictam fructu et frondibus nudatam, quod itaque eius reliquum est, iam nunc est putandum." Vitem, quae sub hiemem frondes posuit, dici *relictam,* est, puto, Latinitati Virgilianae adversum. Ostendi difficultatem, tollere adhuc nescivi, nisi per *recultam.* Vitem, quam ineunte hoc anno putaverat, coluerat, nunc rursus putat et colit, recolit; quod faciendum erat anno veniente, iam nunc facit. *Terra reculta* est apud Ovid. V Metam. 647, ubi in Mediceo legitur *relicta.* Statius Silv. II, III, 49. *Tunc ego teque diu recolam. Et Iovis et Phoebi frondes et discolor umbra Populus, et nostrae stupeant tua germina pinus.*

II. 407.

Persequitur vitem attondens, fingitque putando.

Servius: *componit.* Optime. *Coma, vestes* multaque alia, nimium luxuriantes, *componuntur,* ut accipiant formam magis decoram. Et *fingere* est formam dare, formare, saepe, ut idem Serv. ad VIII Aen. 634, interpretatur, *ad integram faciem arte perducere.* Una de caussis, cur Virgilius adeo excellat, est in eo sita, quod nativam verborum significationem diligentissime observat. Hoc non melius apparet, quam si cum aliis comparatur. Claudian. II Eutrop. 499. *Hi longe ventura notant, dubiisque parati Casibus occurrunt fabro meliore politi.* Prometheus igitur *faber ex limo polivit* prudentiores homines: quamquam mox de minus prudentibus. *Deteriore luto pravus quos condidit auctor,* Epimetheus. Melius scripsisset *potiti,* et pro *fabro* aliud, v. c. *artifice* posuisset. *Finguntur* et alia, ut v. c. equus, *ora equi,* frenis parere recusantis, unde et

figurate animus hominis, ira et furore ablati, fingitur. Phoebus VI Aen. 80, vatis *fera corda domans, fingitque premendo.* Quod imitatus V. Flaccus V, 534, scripsit: *fingit placidis fera pectora dictis.* Ibi Heinsius malebat *fregit*, et Burm. durius putat *fingere*, cum potius fingimus placida pectora, licet intus geramus fera. Rex, opinor, Aeetes ira fervens, eamque celare conatus, sua fera pectora, tamquam ora equi ferocientis, fingit dictis placidis, dum per orationem placidam aestum animi ad moderationem, licet simulatam, componere studet.

II. 420—424.

Contra, non ulla est oleae cultura neque illae
Procurvam exspectant falcem rastrosque tenaces,
Quum semel haeserunt arvis aurasque tulerunt.
Ips satis tellus, quum dente recluditur unco,
Sufficit humorem et gravidas cum vomere fruges.

Haec variis modis distinguuntur et explicantur. Equidem haud scio, quid *cum vomere* ad sententiam loci pertineat. Virgilius docuerat, quanta cura et industria colendis vitibus esset adhibenda. Nunc ad oleas transit, earumque non ullam esse culturam dicit, neque hic falcem neque rastros exspectari, ipsam enim tellurem sufficere humorem, ligone tantum reclusam. Ergo non opus erat aratro. *Non ulla cultura* exponitur, *oleae nulla fere cultura indigent,* ex verbis Columellae, *levi cultura sustinentur.* Ea, ni fallor, cultura fit per *dentem uncum* ligonis. Ubi *aratrum* accedit, licet rarius quam in vitibus, maior tamen est cultura, quam hic agitur. Et Virgilius sequentia cum oleis sic coniungit, ut, si baccae, cytisi, taedae, salices, genestae non rastris neque ulli hominum curae obnoxia sint, oleae certe admodum exigua indigere intelligi debeant. Locum sic esse legendum et distinguendum existimo:

Ipsa satis tellus: quum dente recluditur unco
Sufficit humorem et gravidas sine vomere fruges.

Ipsa terra oleis sat est. Oleae terra contentae esse possunt: quae, quum recluditur ligone, humorem et fruges dat. In MSS. CUM, NAM, IN et SINE saepe confunduntur.

II. 451—459.

Nec non et torrentem undam levis innatat alvus,
Missa Pado; nec non et apes examina condunt

Corticibusque cavis vitiosaeque ilicis alveo.
Quid memorandum aeque Baccheia dona tulerunt?
Bacchus et ad culpam caussas dedit; ille furentis
Centauros leto domuit, Rhoetumque Pholumque
Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.
O fortunatos nimium, sua si bona norint
Agricolas!

Virgilius in Libro I cecinit culturam agri et rusticationem, in Libro II culturam vitium et omnino arborum et virgultorum. Istae partes absolutae sunt cum versu 453, *Corticibusque cavis vitiosaeque ilicis alveo.* Quae sequuntur laudes vitae rusticae, efficiunt pulcherrimum utriusque libri epilogum, ad ipsum carmen didacticum necessarie non pertinent. Iam videor mihi perspicere aptam et connexam rerum verborumque seriem, si quatuor versus 454—457, *Quid memorandum — cratere minantem* desunt, non perspicio, si adsunt.

Virgilius in Libris I et II, descripsit bona, quot quanta ex agris et arboribus percipi possint, quibusque viis possint. Merito igitur beatus vocatur rusticus, qui intelligit, quam dives et felix sit, suamque sortem recte aestimat. Interpone quatuor versus; vinculum carminis et epilogi solutum est. Iam veteres hic non idem sentiebant. Serviana testantur: „*Quid memorandum aeque;* quid similiter laudandum. *Tulerunt:* dona Liberi: sicut silvae sponte procreantes. Alii *et quae* legunt; ut sit sensus quid dicendum est, quae tulerunt, id est, attulerunt, ipsa etiam dona Baccheia: ut hoc dicat: Parum est, quod vites tantum laborem requirunt; etiam munera earum caussas praestant furoris. *O Fortunatos.* Non est abruptus transitus ad laudem vitae rusticae: nam ad superiora pertinet: post vituperationem quippe vini, ista quasi consolatio est, per quam ostenditur, quantas voluptates rusticis natura praestiterit.”

Insignis huius libri pars data est culturae vitium. Poëta in principio Bacchum invocat, cuius muneribus essent omnia plena, tum singulari studio ea exponit, quae ad hanc culturam pertineant, et varia vinorum genera laudat. Haec sane proficisci non potuerunt, nisi ab eo, qui sciret et agnosceret rei momentum ad commoda totius Italiae et hominum re-

creationem; cuius adeo recreationis ipsos agricolas in sacris, et domesticis festis facit participes. Quid iam de poëta dicamus, qui, quod brevi ante scripsit, finito carmine, sic contemnit et *dona Baccheia* fere abominatur, quasi eum commendatae vitium culturae poeniteat? addidisset saltem aliquid, quo inexspectata illa reprehensio mitigaretur, v. c. ea ratione, qua Tibullus I, x, 1—7 prius a se dicta interpretatur:

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses;
Quam ferus, et vere ferreus ille fuit!
Tunc caedes hominum generi, tunc praelia nata;
Tunc brevior dirae mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.

Sed fac, Virgilium scripsisse:

Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem:
Sed nihil ille Deus meruit: nos vertimus ipsi
Ad mala, quae miserae data sunt solatia vitae.

vel aliud, praestantius; carmen quidem didacticum melius finiretur, et cum epilogo cohaereret: laudare tamen non possem.

Consideremus etiam singula quaedam. Ne studio accusandi abreptus, et tamquam caussae susceptae favere videar, Heynium, clementissimi illum et multa ferentis ac patientis ingenii virum, faciam interpretem: „Vs. 454, 455: sationem silvarum suadere poëtam memineris ex vs. 433. Tot tantisque utilitatibus multum cedunt fructus vinearum, quae tamen tam assiduam operam exigunt; quin earum cultura multa adeo mala affert. Hoc, ut poëtam decebat, a generali ac nuda enuntiatione ad facti exemplum deducit. *Ad culpam*: ad furores, ad facinora et crimina committenda incendit homines.” Haec Heynius. Virgilius nempe in vs. 433, dixerat: *Et dubitant homines serere atque impendere curam?* scilicet arbores et virgulta, quae exiguam vel nullam operam poscunt. Ergo hoc longe melius atque utilius est, quam vineis tantum laboris impendere. Hic Virgilius interrogari poterat, cur igitur tantam operam explicandae rei, nunc contemtae, dedisset, cuius fructus multum arboribus et virgultis cederent? Multae arbores enumerantur. Suam quaeque utilitatem affert. In his postrema laudatur utilitas ilicis, quamvis *vitiosae;* hoc, licet

non possit reprehendi additum denique utilitatibus aliarum arborum, sic in vicinia vini condemnati positum, pene ridiculum est. Quis scribere ausit: *quin etiam putres arbores suam habent utilitatem: quid aeque memorandum dona Bacchi tulerunt?*

Sed, inquit, vitium fructus multa mala ferunt. Ideone contemnendi? an propterea imitabimur Lycurgum, Thraca bipenniferum, Penthea, et Imperatores quosdam Romanos, et innocuas stirpes exscindemus? Nihil prodest, quod idem nocere non possit, vereque Mnesitheus: τὸν οἶνον θεοὶ Θνητοῖς ἔδειξαν, τοῖς μὲν ὀρθῶς χρωμένοις Ἀγαθὸν μέγιστον, τοῖς δ' ἀτάκτως, τοὔμπαλιν. Virgilius exemplum facti ex Homero petiit. At Homerus caussam furoris non tacuit.

Οἶνός σε τρώει μελιηδὴς, ὅς τε καὶ ἄλλον
Βλάπτει, ὃς ἄν μιν χανδὸν ἕλῃ, μηδ' αἴσιμα πίνῃ.

et Horatius in suavissimo Carmine: *Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem. At ne quis modici transsiliat munera Liberi, Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero.* Quod Rhoetus et Pholus hic occisi dicuntur, quos alii fugatos narrant, hoc me quidem non movet. Sequi potuit Virgilius alium auctorem. Neque adeo movent illa, *caussas dare ad culpam*, pro *culpae* vel *culpis*, nam multae ebrietatis sunt *culpae*. Sed Virgilius talia non uno exemplo ex Mythologia petito ornare solet, et hîc, puto, ornare debuerat, quia unum sic positum, tenuius est, nec gravitati sententiae respondet. Denique Centauros *furentes leto domuit* haud ita quidem ambigue dicta sunt, ut cum duobus Britannis potius iungeremus *furentes leto*, quam *domuit leto:* nam si *leto domuit* offendat, facilis est emendatio *leto misit*, vel, *bello domuit*, qua voce in hac re alii poëtae utuntur, ut Horatius l. l. *debellata rixa super mero*, Ovid. Art. am. I, 592. *nimium faciles ad fera bella manus*, Anthol. Burm. III, 85. *At Lapithas bello perdis Iacche, gravi:* si dicam tamen, haec apta et loco convenientia mihi videri, mentiar.

II. 475—477.

Me vero primum dulces ante omnia Musae,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant, coelique vias et sidera monstrent;

Poëtae sunt sacerdotes Musarum, *sacra ferunt Musis, sacra*

ferunt in templa vel *aras Musarum*, vel *sacra ferunt*, quando locus *quo*, et Deus *cui* sacra feruntur, ex sententia intelliguntur. Virgilius illud *sacra ferre* non alio modo ponit. Vide III Aen. 19. *Sacra Dionaeae matri Divisque ferebam.* IX, 86. *Lucus quo sacra ferebant.* XII, 13. *fer sacra.* Sic in aliis exemplis. Hoc igitur est contra morem Virgilianum, et, puto, Latinum. Quis enim probet *sacra fero Apollinis*, pro *sacerdos sum Apollinis?* Nec, qui *sacra ferunt Apollini*, ideo intelliguntur esse *sacerdotes.* Possunt *aliquando, interdum saepe* sacra ferre, etiam non sacerdotes. Talia, etiamsi usu huius illiusve scriptoris essent recepta, negligentiam produnt, a castigato stilo alienam. Interpretes comparant Propert. III, I, 2. *Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos Itala per Graios orgia ferre choros*, et Manilium I, 6. *ad viridi nutantes vertice silvas Sacra ferens.* Propertius nihil ad hunc locum: Manilius pro nobis est.

Neque illa *Musae, quarum sacra fero, me accipiant*, hic tam limata et polita arbitror, quam, si pro *accipiant* aliud legeretur. Propertius l. l. scripsit: *Callimachi manes, et Coi sacra Philetae, In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.* Pro eo recte dixisset *me in vestrum nemus accipite.* Sed *Musae, quarum sacra fero, me accipiant*, pro, Musae *sacra accipiant*, durum est. Si XI Aen. 557, recte dixit: tibi, o Latonia virgo hanc *Ipse pater famulam voveo. Accipe, testor Diva tuam:* hinc non sequitur, nunc recte dictum esse, quod reprehendimus. Bene haec an secus disputaverim, alii iudicent. Semper tamen meliores versus hos iudicabo:

Me vero primum dulces ante omnia Musae,
Quarum signa fero ingenti percussus amore,
Adspiciant, coelique vias et sidera monstrent.

Qui numen aliquod et rem, cui numen praeest, praecipue colit, hic sub numine isto militare, eiusque *signa ferre* dicitur. Horat. IV, Carm. I. ad Venerem: *Et centum puer artium Late signa feret militiae tuae.* Ovid. Rem. Amoris, 3. *Parce tuum vatem sceleris damnare Cupido, Tradita qui toties, te duce, signa tuli.* Statius IX Theb. 608. *Virgo potens nemorum cuius non mollia signa Militiamque trucem frequento.* Tibull. ad Venerem: II, VI, 6. *erronem sub tua signa voca.* Similis est

metaphora, a *castris* petita; et, qui aliud numen colit, prioris *transfuga* vocatur. *Adspiciant* in hac re sollemne est verbum. Quis ignorat Horatianum: *Quem tu, Melpomene, semel Nascentem placido lumine videris.* Virg. IV Georg. 2. *Hanc etiam Maecenas, adspice partem.* IV Aen. 172. *Nec Saturnius haec oculis pater adspicit aequis.* Praetereo Graeca εἰσιδεῖν, εἰσορᾶν alia.

II. 495—498.

Illum non populi fasces, non purpura regum,
Flexit, et infidos agitans discordia fratres;
Aut coniurato descendens Dacus ab Histro;
Non res Romanae perituraque regna;

Praetereo diversas interpretationes, et Reiskii *res Comanae*, hoc est, Armenae vel Parthicae; et coniicio:

Non spes Romanae perituraque regna.

Quid sperent Romani, quae regna imperio suo adiicere cupiant, peritura per illud semper crescendi studium. Alter populus alterius interitum sperat; Horatius: *Non ut, secundum vota Parthorum, sua Urbs haec periret dextera.* Hoc est spes Parthorum perituraque Roma. *Spes Italae* apud Claudian. VI Cons. Honor. 24.

II. 498.

neque ille,
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.

In Servianis est triplex interpretatio: Virgilius noluit rustico assignare misericordiam, ne ei daret etiam caeteras animi passiones; rusticus paupertatem non dolet, quod eam malum esse non credit, sed munus Deorum; rusticus nec bonis nec malis alicuius movetur, quia eius non interest, quippe qui ab urbibus est remotus. Quarta interpretatio est Burmanni: rustici, naturalibus bonis contenti, nullos vel raros vident inopes et mendicos, ideo nec dolere miserantes solent. Mendicitas ibi nulla, ergo nec misericordiae locus. Atque hoc Heynius accipit: „nec dolet, nec invidet, quod in agro remotus ab omni pauperum miseria et divitum luxu ac fastu, animum ab omni perturbatione vacuum habere potest." Nolunt esse rusticum Stoicum, et tamen faciunt, saltem dimidiatum. At quae laus, non peccare, ubi desunt occasio et

illecebrae! Nec *dolere* est illa perturbatio, quia ex *miseratione* oritur. Pauperes autem et egeni, illis praesertim temporibus, sine dubio fuerunt. Cogitemus vel Meliboeum ex prima Ecloga. Virgilius vitam et ingenia rusticorum opponit urbanis. Rustici horum vitiis carent. Hoc satis est ad laudem. Ea laus sic poterat exprimi:

neque ille,
Haud doluit miserans inopem, aut invidit habenti.

Rusticus, non, ut urbanus, adspicit inopem sine dolore et misericordia, aut invidet diviti: sed dolet et miseratur, et suo contentus est, ex quo etiam paupertatem aliorum sublevare possit.

II. 505.

Ut gemma bibat.

Contra rustici scypho fagino et vili utebantur. Corrige hinc Senec. Hippol. 105 sq. *Tunc illa magnae dira fortunae comes Subit libido: non placent suetae dapes, Non tecta sani moris, aut vilis cibus.* In Florent. *ullus.* Gronovius coniicit *torus,* ego *non vilis scyphus.* Post *dapes* non recte memoratur *cibus.*

II. 507.

Condit opes alius, defossoque incubat auro.

Hoc est, *condit, defodit,* et incubat. Quantum *condit* et *defodit* differunt? Prius, credo, opes parare oportet, quam defodias. Scribendum puto:

Cogit opes alius, defossoque incubat auro.

Similia exempla laudant, ut Lucretii, *sanguine civili rem conflant,* et ex nostro, *qui divitiis soli incubuere repertis.* Utrumque verbum, *conflare* et *reperire,* antecedit. Seneca Herc. Fur. 165, *hic nullo fine beatus Componit opes, gazis inhians, Et congesto pauper in auro est.* Idem Herc. Oet. 636. *Solas optat, quas donet, opes.* Sed hoc non est *avari.* Legendum *condat.* Gronov. *ponat.* Boethius III, 3. *Non expleturas cogat avarus opes.*

II. 508—510.

Hic stupet attonitus Rostris; hunc plausus hiantem
Per cuneos geminatus enim plebisque patrumque
Corripuit;

Quis *geminatus enim* explicare scivit, ut Virgilio digna haberentur? Locum vel corruptum vel spurium arbitror. Et, si supra hunc Epilogum appellavi pulcherrimum, non tamen omnia sine exceptione laudo. Nec mirum, si locus de laudibus vitae rusticae, post Virgilium factus communis, et a multis celebratus, additamentis inquinaretur? Nonnullis versibus eiectis ita nitor et suavitas restitui possunt, ut vere ex vena Mantuani fluxisse videantur: de quo posthaec. Hic quidem divinavi:

Hic stupet attonitus Rostris; hunc plausus hiantem
Per cuneos, geminans studium plebisque patrumque,
Corripuit;

Plausus, geminans studium, ostendens *geminum studium* plebis et patrum, quod in plausu spectatur et auditur. *Studium* significat favorem; et coniunguntur, ut Cicero v. c. coniunxit pro Roscio Com. 10. actor *quod studium et quem favorem secum in scenam attulit.* In scena autem Roscios maximo plausu spectatores prosequebantur. Adde Virg. V Aen. 216. *studiisque faventum consonat omne nemus.* Cf. Heins. ad Georg. III, 498 et Burm. ad V. Flacc. III, 628. Neque multum differunt GEMINATUSENIM et GEMINANSSTUDIUM. Sed hic versus unus ex iis, qui notari et ostendi debent, ne, tamquam elegantes, silentio praetereantur, sed ut alii ad emendandum vel explicandum moveantur.

II. 513—515.

Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor; hinc patriam parvosque nepotes
Sustinet; hinc armenta boum meritosque iuvencos.

In Mediceo: *parvosque penates.* „Impense placet, ait Heinsius. Placeret impensius, ni *penates miseros* paullo ante iam praecessisse essem recordatus." Praecedit nempe vs. 505. Interpositi sunt igitur versus octo. Hoc quomodo Heinsium offenderit, non intelligo. Centena enim vocabula se intervallo longe breviore excipiunt. *Nepotes* mihi non placent. Ubi de patre familias agitur, quos ille sustineat, requiritur *domus, uxor, liberi:* si *nepotes* adduntur, hi vel suos parentes amisere, vel alia de caussa ab avo sustinendi sunt. Talis autem exceptio a generali sententia abhorret. Omitto Heynii et aliorum dis-

putationes, et coniecturas *patrem parvosque nepotes, hic anni labor*. Fortasse melius legeretur:

hinc patriam patriosque penates Sustinet;

Quod annuo labore partum est, vocatur *anni labor*. Sic et Graeci *πόνος* et *πόνοι*, et Latini utuntur *labor*. Agricola *sustinet patriam*, agrum et regionem illam Mantuanam, in quam *patriam* se Musas esse deducturum gloriatur III Georg. 10. Heynius putat patriam non aliter sustineri quam conferendo in publicum. Sed quid iuvant vel gravissima vectigalia, si deëst frumentum? Magna laus agricolae, qui curat, ne opus sit eo importato, quae res saepe ventis, bello, aliisve causis impediebatur. Virgilius in scribendis Georgicis hoc quoque spectavit, ut Romani sua bona nossent, neque ab industria Africae, aliarumque regionum penderent. De vetustiore aetate Varro III, 1 scribit *cives in pace a rusticis Romanis ali, in bello tueri. Patrii penates*, totam domum, uxorem, liberos, vernas, pecora, complectuntur. *Patria* complectitur illam Italiae partem, in qua Virgilius erat natus, cuius agriculturam praesertim ante oculos habet: *patrii penates*, ut Tibull. I, III, 33, *at mihi contingat patrios celebrare Penates, Reddereque antiquo menstrua tura Lari*. Lucan. IX, 330. *patrios permitte penates Desertamque domum, dulcesque revisere natos*. I, x, 15. *Sed patrii servate Lares; aluistis et idem, Cursarem vestros cum tener ante pedes*. Et colebat ille, ut rusticus Horatii, *paterna rura bubus suis*. Imago, et ipsa dulcis, et signum non pauperis coloni. Propterea quoque *parvos penates* nunquam acceperim. Hoc enim significat *pauperem* agricolam, ut apud Horat III Carm. 29. *Mundaeque parvo sub lare pauperum Coenae*. Idem aliis modis alii exprimunt, *sub lare curto, exiguo, gracili, angusto, paupere, arto;* vide Bentl. ad Horatii I Epist. VII, 58. *Gaudentem parvisque sodalibus et lare certo*, ubi Horatium scripsisse puto: *Gaudentem parvisque sodalibus et lare parvo*. Vocabulum ita repetitum ornamento stili poëtici ducitur. Tale quoque est *patriam patriosque*. Caeterum hic omnino postulatur vita divitis rustici, quia *pauperis* a laudibus vitae rusticae esset aliena, et ex sequentibus Virgilium istam vitam cogitasse, satis apparet, et iam antea nominavit *latis otia fundis*. Hanc quoque vitam cogitat Horatius in noto Carmine, qui

et *domum divitem* appellat; et Tibulli rusticus II, I, 21, est *nitidus* et *satur*. Caeterum *Penates* et *Lares* non sunt iidem, ut neque Penates *publici* et *privati*. Sed in poëtis discrimen non semper observatum. Supra mirabar religionem Heinsii, non ferentis *penates*, quia praecesserat *penates*, quamquam novem versus interpositi essent. Et idem non offendebatur Ovid. Heroid. I, 40, 42. *Utque sit hic somno proditus, ille dolo. Thracia nocturno tangere castra dolo.* Ultimum *dolo* male repetitum videtur ex priore, et mutandum in *pede*. Sic Claudian. Praefat. de Raptu Pros. II. *Thracia pacifero contigit arva pede.*

II. 520.

Glande sues laeti redeunt: dant arbuta silvae.

Virgilius illud *laeti* tam saepe substantivis apponit, ut fere fastidium pariat. Hoc, praeter alia, indicio est, eum non omnia, ut voluit, emendasse. Fortasse hic illic librarii errarunt. Cur minus *nitentes* et *nitidi* usus esset, quam nunc videtur? Hic certe versus elegantior prodiret:

Glande sues redeunt nitidi.

Rufinianus de Schem. Lex. vidit: *redeunt laeti.* Hoc ita ex *nitidi* corrumpi potuit, usitatissimum ex minus usitato. *Equos nitentes* ipse in Aeneide appellat, ut Nepos in Eumene V, *nitida iumenta*. Ubi plura interpretes.

II. 524, 525.

Casta pudicitiam servat domus: ubera vaccae
Lactea demittunt;

Licet *ubera* habeant adiunctum *lactea*, quia vaccae ea *demittunt* hoc non satis ostendit, quod requiritur, ingentem lactis copiam. *Demittunt* vel Columellae tenuius visum, qui haec ridicula imitatione expressit: *quibus alma tellus annua vice, velut aeterno quodam puerperio laeta, mortalibus distenta musto demittit ubera.* Homo loquitur de vitibus. Virgil. III. Georg. 316, plus de capellis dixit: *ipsae memores redeunt in tecta suosque Ducunt, et gravido superant vix ubere limen.* Hoc demum est *ubera demittere. Demittere*, ut nunc positum, tacitam cogitationem morbi vel tristitiae, vel senectutis, involvit. In nonnullis MSS. *dimittunt.* Perpetua quidem fere confusio: hic ducere potest ad usitatum verbum *distendunt.*

Horatius: quod si pudica mulier, claudens pecus, *Distenta siccet ubera.*

II. 527—530.

Ipse dies agitat festos, fususque per herbam,
Ignis ubi in medio et socii cratera coronant,
Te, libans, Lenaee, vocat; pecorisque magistris
Velocis iaculi certamina ponit in ulmo.

Mediceus pro *in medio* habet *ingenio.* Hinc Burm. coniicit *ignis ubi Genio,* id est *ara Genio posita.* Schraderus et Heynius: *ignis ubi, Genio et socii cratera coronant,* in honorem Genii. Interpretatur tamen vulgatum: „ubi ara, in qua sacrum fit, ex quo epulae parantur." Quis, quaeso, eam sententiam sic enuntiasset? Virgilium enuntiasse nunquam equidem credam. Suspicor versum esse insititium, et hanc Virgilii manum:

Ipse dies agitans festos, fususque per herbam,
Te, libans, Lenaee, vocat;

Ignis, socii, et coronatus crater, facili opera ex Aeneide conflari potuerunt. Et similia in Tibullo et aliis inveniuntur. Pueros, vernas, socios adeo, ad festum fuisse admissos, videmus ex *pecorum magistris,* quibus certamina posuit. Si Virgilius *craterem coronatum* et alia voluisset, dixisset v. c. *Dum socii ad medios ignes cratera coronant.* Vel: *Ignes dum ad medios socii cratera coronant.* Hoc saltem intelligi poterat. Ita Horat. Epod. II. *Positosque vernas, ditis examen domus, Circum renidentes Lares.* Martial. III, 58. *Cingunt serenum lactei, focum vernae, Et larga festos lucet ad Lares silva.* Mutavi *agitat* in *agitans.* Ita et obscurum, quod iam veteres in *agitat dies festos* notarunt, sublatum est. Multi autem dies festi rure celebrabantur. De certo aliquo hic agi non arbitror.

II. 535.

Septemque una sibi muro circumdedit arces.

Idem versus legitur in Aeneide VI, 786. cui loco tam aptus et proprius est; quam huic minus. Nec Virgilius eosdem versus, ne litera quidem mutata, repetere solet. Grammatici, credo, inseruerunt.

II. 536—540.

Ante etiam sceptrum Dictaei regis, et ante
Impia quam caesis gens est epulata iuvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.

Sententia postulare videtur:

Necdum etenim audierant inflari classica.

Homines sub Saturno talem vitam egerunt. Nam non erant bella. Bella sub Iove orta sunt, perniciosa illa, cum multis aliis rebus, tum vitae felici et rusticae, et agriculturae. Virgilius hoc nomine bella saepe detestatur.

DUO EMBLEMATA APUD CICERONEM DEPRENSA.

In oratione pro C. Rabirio, perduellionis reo, VII. § 20. editur: *Quum Saturninus Capitolium teneret armatus, esset una C. Glaucia —: in foro autem C. Marius et L. Valerius consules, post cunctus Senatus, atque ille Senatus, quem etiam vos ipsi,* qui hos patres conscriptos, qui nunc sunt, in invidiam vocatis, *quo facilius de hoc Senatu detrahere possitis, laudare consuevistis.* Impeditum locum prorsus expedies, si deleto emblemate ita scripseris: *atque ille Senatus, quem etiam vos ipsi, quo facilius de hoc Senatu detrahere possitis, laudare consuevistis.* Adscriptum olim a sciolo est: *hos patres conscriptos qui nunc sunt in invidiam vocare,* ut interpretaretur quid esset *de hoc Senatu detrahere.* Deinde ea annotatiuncula verbis Ciceronis utcumque accommodata vulgatam lectionem peperit. Non est Tullianae Latinitatis *hos patres conscriptos qui nunc sunt.* Interpolatus est locus in Verrinarum initio: *inveteravit iam opinio — his iudiciis,* quae nunc sint, *pecuniosum hominem quamvis sit nocens neminem posse damnari.* Ciceronem dedisse arbitror: *his iudiciis pecuniosum — neminem posse damnari.*

C. G. Cobet.